DISPUTATIO TH
DE
STRIG
NISM
QUAM
AD SECULA
Jubilæi S
d. 2. & ſeqq. Feb. celebrati, feſtivit
PRÆSID
Viro plurimùm Reverendo, Ampliſſim
DN. JOHANNE
GERHARDO, SS. T
Patrono ac Præceptore ſuo
obſervantiæ cultu æt
ſequendo,
Publico συνθεολογύντων *exa*
M. HERMANNUS Erdmann
AUCTOR.
Ad d. Ma
ANNO
QVo SoL SaLanæ nataLIa re

Typis Sengenvv

THEOLOGICA
DE
GELIA-
SMO,
UAM
ULAREM
i Salani,
festivitatem contestandam,
SIDE
Amplissimo atq; Excellentissimo
NE ERNESTO
SS. Theol. D. & P.P.
ore suo plusquàm filiali
ultu ætatem pro-
endo,
ντων examini subjicit
dmann/Palæog-Bremensis,
CTOR.
Mart.
ANNO
ataLIa reDDIDIt astra.

genvvaldianis.

בְּיהוה אלהים׃

EBræorum nonnullis שנת היובל *annus Jobel* Levit. XXV. 13. *annus productioris*, ejusq; buccinâ editi *sonitûs*; nonnullis autem *annus libertatis*, qui futuram libertatem proclamaret, dictus videtur. Utrique quidem, quamvis inter se dissidentes, in suppeditando tamen nobis disserendi argumento amicè consentiunt. Sicut enim *Salana nostra*, jubilantes Ebræos æmulando, in *Jubilæi* sui tripudio & שופר תרועה Levit. c. 5. v. 8. *jubilationis tubam* inflans, cùm venerandos templorum suggestus, tùm docta acroateriorum pulpita *productiori sonitu* per recens elapsas septimanas & *perorando*, & *disputando* personare, *libertatemq;* suam, à propitio cœlo huc usque sartam & tectam servatam crepare jussit: ita eadem & nos pro illa, quam ei debemus, pietate ad nostrum, non quidem cũ cæteris æquè acutè clangentem, sed veriùs anseris instar inter olores stridentem שופר תרועה seu *clangoris lituum* inflandum excitat. Quod dum meditati, ad Ebræorum exemplum *Almæ nostræ libertatem* non modò, ut illi, concedendam, sed jam olim, & huc usque cœli indulgentiâ concessam deprædicandam sumpsimus: vix convenientius eo, quod ille suâ quidem opinione *Victor*, ancipiti autem Dei gladio Hebr. IV, 12. feliciter *victus Victorinus Strigelius* suppeditaret, argumentum inveniri posse, nobis persuasimus. Hic enim infausto illo de L. A. viribus, acerrimè tamen propugnato certamine, tantum abest ut *Salanæ* nostræ *libertatem* ulteriùs promoverit; ut potiùs eandem recèns natam (vix enim biennii usus de-

cennale privilegiorum desiderium expleverat) cumque ea plurimas Thuringiæ Ecclesias, haud paucis sincerioribus earum pastoribus in exilium missis, totq; conscientiis turbatis, strictissimâ servitute presserit, fereq; oppresserit. Unde quò plausibilior hæc controversia, pluribusque stipata assectis, durioris *Salanæ nostræ*, aliisque orthodoxiæ ἀθλη-ταῖς intentatæ servitutis fax & tuba extitit; eò magis hanc nostram de Dei, ob doctrinæ puritatem priscamq; libertatem huic redditam, conspicuâ clementiâ sonantem *libertatis buccinam* implet, ac audiri facit. Idq; eò cumprimis, quòd maximè ab hujus doctrinæ puritate, vel impuritate omnium fermè articulorum *vel* sana dependet cognitio, *vel* error pestilentissimus. Cujus solùm præter alia, ut quòd nimium L. A. encomium peccatum originale imminuat, ex quo ceu venenato fonte non possunt non fluere blasphema meriti Christi (*magnitudine enim morbi ignoratâ, medicaminis utilitas, Mediciq; dignitas & præstantia ignoratur*, inquit *B. D. Simon Musæus præfat. D. Vin.*) & gratiæ justificantis extenuatio, B. O. exaggeratio, atq; adeo splendida totius Pharisaismi & Monachatûs structura & ædificatio, &c: longè plurima rationum momenta; Megalander noster *B. Lutherus*, omni exceptione major testis est: *Sine cognitione hujus*, inquiens, *nos ne Deum nostrum agnoscere, laudare & rectè prædicare posse.* Cujus tam utilis, tamq; necessariæ doctrinæ puritas restituta, libertatis *nostræ Salanæ* exaggerandæ, ejusque auctoris Dei laudandi campũ aperit amplissimum. Quibus adducti rationibus *Strigelii controversiam*, non quidẽ eam sepultam ex orco quasi revocandi (*malum enim benè sopitum non movendum*, monet *Selneccerus in refut: Pezelii*) sed in ea juxta aliorum, Dei gratiâ nobis præviorum vestigia, refutan-

dã

dâ, & nostras (tenuissimas licet, sibi tamen à quovis candido, ubi tanto impares extiterint oneri, veniam promittentes) vires explorandi animo selegimus; omninò nobis, nos operæ pretium facturos, si eam hac festivâ *Salanæ nostræ* luce, publicæ redonemus luci, persuasum habentes. Quod igitur summus rerum Arbiter felix faustumq; esse jubeat, esto de *arbitrii* à *Strigelio* propugnata *libertate*

SECTIO I.

Prolegomena, præmissâ Auctoris vitâ, interminorum cùm hetero- tum orthodoxorum evolutione, statusq; controversiæ formatione absolvens.

1. Ut igitur ab ovo, quod ajunt, ordiamur, primò illa, quæ annalium monumenta hac vice quidem nobis suggerere voluerunt, eaq; pauca de erroris hujus, non quidem *primi auctoris* (hujus enim semina satis fœcunda in variis scriptis ac libris *Philip. Melanchthonem* jamtum sparsisse, eumq; sua ipsius testimonia hujus reum agere, ostendit *B. Hutterus in expl. F. C. p. m. 705.*) acerrimi tamen *propugnatoris*, *Vict. Strigelii* sc, vita, rebusq; gestis, summa tantùm rerum fastigia sequentes, recensendo percurremus. *Vict. Strig. Vita.*

2. Nostrum igitur *Victorinum Strigelium patre Ivone Strigelio* Med: D. in Italia promoto natum, *Suevorum* libera civitas Imp: *Kaufbeura* (hoc titulo inde, quòd libertate suâ, à Conrado II Rom. Imp. 50000 florenis aureis impetratâ huc usque gaudeat superbiens, teste *Dressero* de urbibus Germ. p, 187.) dicta, primùm d. 26. Decembris, anni 1524. juxta *Bernh. Sturmii in eteostich.* calculum, natali excepit hospitio.

3. Hunc suum, ut ad magna natum filium; ita à puero Theologiæ, Musarumq; sacris non modò initiatum, sed totum mancipatum, virum multis & corporis & animi dotibus excellentem, reddidit sollicita parentum educatio. Quâ pòst naturæ jussu excedens, humanioris literaturæ studia, communi totius Germaniæ

Præceptore, *Philippo Melanchthone* feliciter usus, *Wittebergæ* excoluit, tanto cum conatu, ut ibidem anno 1544. inter 34. competitores sextus lauru *Philosophicâ* dignisimè coronatus fuerit.

4. Quæ studia sua illic adhuc per triennii decursum strenuè urgens; indeque anno 1547. sub belli Smalcaldici furiis *Erphordiam* vocatus, in collegio Saxonico *Philosophiam* & *Theologiam* alternis vicibus, quas operas tamen aliquot de *Gr: linguâ*, *ministerii Evangelici dignitate* &c. habitæ orationes venustè distinxerant, professus, spartam suam satis ornavit.

5. Quæ industria eum, qui ab Illustrissima Saxoniæ Ducum Trigâ, *Johanne Friderico II. Johanne Wilhelmo*, & *Johanne Friderico III.* *Jenam* vocatus, Academiam recèns natam, purioris politiorisq; literaturæ lacte, unà cum aliis primus nutriret, famæ adminiculo dignum reddidit. Quibus votis clementissimis obtemperans, 20. studiosis Erphurdianis stipatus, anno 1548. *Salanam* nostram primùm salutavit, & in eadem è pædagogii pulvere in Academiæ lucem producendâ, juxta cum cœteris strenuam navavit operam, in augusto Fundatorum, Saxon. Ducum, horumq; Consiliariorum consessu de 19. Martii, anno 1548. doctissimè perorans.

6. Hanc modò demandatam spartam, finito Paschatos festo, & præmissis præliminaribus, & intermistis aliquot, modò de *Physica*, modò de *Dialectica*, modò de *Angelis*, declamationibus, exornare aggressus, primus in hac nostra *Physicam*, *Ethicam*, *Dialecticam*, *Græc: linguam*, *Historiam* & *Theologiam* professus est. Hac autem *almâ nostrâ* decennio pòst Imperialibus privilegiis, an. 1558. 2. Febr. (quorum grata memoria nobis adhuc dum *nostri* ministrat alimenta *jubilæi*) plenissimè beatâ, *Strigelius*, superiorum jussu *Amplissimæ Facult. Philos.* statutis à se concinnatis, *ejusdem primi Decani* nomen, & *primi*, Rectore Academ. secundo *Philippo Comite Nassoviensi*, *Pro Rectoris* fasces consecutus est, tandemq; Fac. suæ *Senior secundus M. Johanni Stigelio* successit.

7. Nec rara donorum excellentia hunc nostrum adhuc obscuræ (quid obscuræ, imò jam *per ora virûm volitantis*) Salanæ semper continuit terminis; sed sæpiùs aliorsum vocavit. Ad Wormatiæ enim Synodum ingenii dexteritas eum misit; Adiaphoristarum error oppugnandus Vinariam repetere eum jussit, ubi perpetuò ab Orthodoxorum parte stans, contradicentibus masculè restitit.

8. Ve-

8. Verùm sicut de *Alcibiade* Æmilius Probus prodit, *illo suâ tempestate nihil fuisse vel in vitiis, vel virtutibus excellentius*; ita & de nostro *Strigelio*, quòd eo primùm in sanioris doctrinæ tuendæ virtute; pòst autem in erroris mordicus defendendi vitio nihil fermè fuerit excellentius, haud incommodè quis affirmaverit. Sicut enim eum accuratior literarum cultura satis exornavit; sic levior pietatis sinceræq; religionis cura gravi notavit stigmate; quippe qui in religione alter Protheus & Vertumnus, in fide Lutherana nec calidus, nec frigidus, sed tepidus extitisse dicitur. *Fuit vir quidem in linguis & Philosophia excellenter doctus*, sed *in religione minimè sincerus*; scribit de eo *Crugerus in Catal: mille virorum p. 243.* Quî enim viribus humanis synergiam tribuerit, quî voluntatem tertiam conversionis causam statuerit, dicenda docebunt. Subdolum etiam hominis ambitiosæq; contentionis œstro percitum animum vivis quasi coloribus *à B. D. Simone Musæo* depictum legimus *in actis Colloq. Vinar. p. 283.*

His igitur Illustriss. Saxon. Dux Johannes Fridericus II. sinceræ religionis fovendæ studiosissimus commotus fuit, ut *Vict. Strigelium* d. 27. Martii ipsis feriis Paschalibus anno 1559. armatâ 300. militum manu cinctum *Jenâ primùm Leuchtenburgum*, arcem editissimam, & aliquot diebus pòst *Gotham*, eiq; contiguam in arcem Grimmenstein/ (nunc Friedenstein) deductum, futuro Colloquio Vinariensi custodiâ reservandum tutaretur. Quod colloquium in illustrissima Ducis Saxoniæ, aulæ Consiliariorum, plurimorumq; Pastorum & Theol. Studiosorum panegyri à 2. Augusti ad 8. ejusdem Anno 1560. cum *Illyrico de Pecc. Orig. & Lib. Arbitr.* disceptans, satis quidem fervido, irrito tamen conatu protraxit, quippe ab officio deturbatus relictus.

10. Sed quid? Biennio pòst (quo fato, quibusq; votis dixerim fermè quòd nesciam) *sua* de co[...]oversis articulis exhibitâ veram veræ religionis speciem extrinsecâ quadam (ad instar pomorum lacus Asphaltitæ extrinsecùs, tectâ interiori fœditate, speciosorum) formâ, phrasibusq; flexiloquis egregiè mentiente, intrinsecùs autem nil nisi putridum prisci erroris cadaver denuò obtrudente *declaratione* id effecit, ut Vinariæ anno 1562. d. 24. Maji solenniter sine omni publici erroris vel confessione,

vel

vel retractatione, pristino splendori, & officio, quod die 28. Maji, præmissâ, de *Ecclesiæ gloria*, oratione iterum aggressus, restitutus sit, non tàm mente, quàm mento fortè mutatus.

11. Quæ restitutio non modò *Strigelio* altioris supercilii (iste enim, *se sine conscientiæ & famæ vulnere restitutum esse*, satis tumidè crepare haud dubitabat) sed & totius Thuringiæ turbæ fomentum præbuit igneum. Eosdem enim iste adhuc errores fovens, *synergiamq;* animalis hominis in sui conversione interpolans, suam de L. A. viribus sententiam pro eâ, quâ tum pollere sibi videbatur, auctoritate dictatoria, Thuringiæ Ecclesiis obtrudere conatus est. Quem in exhibitâ *declaratione* errorem Pastorum nonnullis (qui vel nimio viri splendore excœcati; vel lautiori redituum usu capti, vel metu præpediti, vel ignorantiâ decepti fuerant) ceu aureum Nabuchodonosoris idolum, flexis quasi genibus adorantibus, recipientibus, approbantibus; cùm reliqui, iique in doctrina sinceriores, sui officii curiosiores, Christoq; capiti fideliores, improbarent, spartis depulsi, aliò migrare jussi sunt. Sicque Ecclesiarum Thuringicarum ruina haud levis, conscientiarumq; scandalum extitit *Strigelius* gravissimum.

12. Unde quod mireris, nemine, (nisi eo, quod mille testium loco est, *Conscientiam dico*) eum fugante, fugâ, impiorum lucem fugientium, Joh. III. 20. more, sibi consuluit, & anno 1562. secundo suo nondum defunctus Decanatu, nundinis autumnalibus *Lipsiam* abiit, nunquam huc reversus. Illic verò non diu vixit exul; sed (quò enim in deliniendis hominum animis non penetrat versipellis hæreticorum tunica?) ab *Illustr. Duce Augusto, Saxoniæ Electore*, honesto inter *Professores* loco est donatus, spartæque doctrinam *de Deo, & virtutum officiis* explicandi honorificè præfectus fuit. Cujus munia obiens, aliquot ibidem de *studiis doctrinæ Christianæ; Proph. Jeremia, &c.* institutis declamationibus, etiam ad *Rectoratus Academici* clavum illic anno 1565. evectus est.

13. Sed & ibidem, (hæreseos enim fermentum diu celari nescit) *Selneccero in ep. ad Theol. Witteb. & Georgio Weinrichio in concione Jubil.* testibus, ob phrases *Calvinismum* redolentes, collegio & auditorio ipsi præclusis prohibitus fuit. Quare suæ diffidens causæ, haud impetratâ à Magistratu veniâ; sed insalutato ho-

spite, clam se Lipsiæ subduxit, ac *Heidelbergam* petiit, ubi vix *triennio* in professione consumpto animi magis, quàm corporis correptus ægritudine, d. 25. Jun. anni 1569. è vivis excessit, ibidemq; in æde D. Petri terræ redditus est.

14. Sicut autem hactenus dicta *Strigelium* tam quod ad laudes, quàm vituperia nobis aliquâ ex parte depinxerunt; ita eum pleniùs ejusdem, quæ sanè non exigua numero sunt, scripta nobis exhibent. Quæ inter (ut reliqua taceamus) non omninò spernenda, quæ in plures libb. Biblicos commentariorum loco reliquit, ut *in 12. Proph. Min. Jobum, Judices, Samu. Paral. Esa. Jerem. Ezech. Daniel. Proverb. Salom.* uti & hypomnemata *in omnes Psalmos*, & præprimis hypomnem. *in omnes N. T. libb.* quibus sermonis genus, nativaq; egregiè exprimitur sententia, &c. de quibus, ut & aliis hactenus dictis consulatur *Perquam Reverendus & Clarissimus* Dn. M. *Adrianus Beier, Eccles. hujus Diaconus meritissimus in nomenclat. Profess. T. 6. p. 889. & seqq.*

15. Hisce ita quantum ad *Victorini* vitam, eâ, quâ fieri potuit, brevitate prælibatis, propiùs eum nunc accersimus, cominus cum ipso congressuri, ejusq; errorem, confirmatâ primò verâ sententia, palmariis deinde objectionibus solutis, καθδύναμιν confutaturi.

16. Cùm autem, monente Philosopho l. elench. cap. 20. διαιρετέον τῷ ἀποκρινομένῳ, *distinguere debeat, qui respondet*; terminorumq; evolutio ubique sibi primas vindicet: nos ejus memores, idem præstabimus. Melioris autem methodi ergò *terminos in heterodoxos* & *orthodoxos* distinguemus: *illos*, sub quibus in *declaratione* sua *Victorinus*, ceu *frigidus anguis in herba*, latere elabiq; studuit, *hos*, quos sanior semper admisit doctrina, appellitantes. *Evolutio terminorum*

17. Quantum igitur ad illos, *Victorinum Strigelium* hosce: *aptitudo, capacitas, modus agendi* sæpiùs exhibuisse, altera *Declarationis* pars ostendit, ita sonans: *Quod verò ad alterum caput attinet, sive modus agendi, sive aptitudo, sive capacitas appelletur, certissimum est, hominem differre ab omnibus creaturis* &c. Horum igitur heterodoxus usus in præsenti negotio Victorino est acceptus ferendus, qui etiam ob istum novitatis pruritum, atro certè carbone notandum, primâ statim fronte nobis non immeritò suspectus redditur. *1. Heterodoxorum.*

α. Generica. 18. Quorsum enim ejusmodi in Sp. S. schola eo sensu non tantùm ignota; sed & in se dubia, flexiloqua, & cothurni instar versatilia vocabula? Ethnicorum sapientiores receptas urserunt loquendi formulas; auctore Poëta:

Munda, sed è medio selectaq; verba puellæ
Scribite, sermonis publica forma placet.

Idem sibi quivis Theologorum: *Munda*, &c. *verba Ministri scribite* &c. dictum putent. Scripturæ igitur phrasibus, peculiari Dei gratiâ nobis concessis, magnâ cum gratiâ, quoad ejus fieri potest, in fidei controversiis lubentissimè utamur, non verò vel peregrinis, vel ancipiti & contrario Scr. S. sensu Theologiæ obtrusis, adeoq; ei valdè perniciosis.

19. Cujus præsagus Paulus, Timotheo suo ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων II. Tim. I. 13. graviter inculcat, innuens, se ei reliquisse ἀρχέτυπον ejus, quomodo tradendi sint in Ecclesia articuli fidei, ad quem subindè ei respiciendum sit, ne de suo aliquid effingat, sed Apostoli ductum sequatur. Conf. I. Pet. IV. 11. Cujus præcepti Apostolici, quin & sui ipsius, in *Hypomn.* N. T. in h. l. *Augustinum* l. 10. de C. D. c. 23. ita loquentem: *Nobis ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his significantur, impiam gignat opinionem*; adducentis, quî *Strigelius* in cudendis hisce terminis memor extiterit, constat. Unde quodnam aliud, quàm illud *D. Pauli* de ejusmodi homine affirmantis: τετύφωται I. Tim. VI. 4. id est, *vento turbulento, menteq; homines privante abreptus, seu, tumidus, inflatus*; vel, juxta B. *Lutherum; attonitus est*, judicium de eo feremus?

β. Specifica. 20. Sed magis ad rem *specialior* terminorum horum consideratio faciet, clarè scil. num hi *sanorum verborum* ὑποτυπώσει conformes, & retinendi; an verò ei longè dissimiles, & rejiciendi sint, ostensura.

ut quid sit 1. Modus agendi. 21. *Primum* igitur terminum, *modum agendi*, quod attinet, sicut hic sensum gignere potest *duplicem*, *vel*, ut de *externo modo* seu *medio*, verbo scil. Evangelii, loquatur; *vel* de *interno sive interiore actione, potentia, efficacia, idoneitate & capacitate hominis*, seu (uno verbo) *assensu* capiatur: ita *prior* ab Orthodoxiâ nihil abludit, *posterior* heterodoxiam sapit. *Utro sensu* autem *Victorinus*, *priorine*,

an *posteriori* suum *modum agendi* accipiat, maximè quæritur? Delio sanè hic nobis esset natatore opus, quò ex hoc obscuritatis pelago emergere possemus; nisi illud tritum: *Quilibet verborum suorum*, &c. adeoq; ipsa *Strigelii* explicatio hîc nobis veniret subsidio. Hanc in rem autem præprimis accersimus *disp. Vinar. sess. 5. p. 93.* ubi de hoc *agendi modo* disputat: *Scopum hunc*, inquit, *habeo præfixum, ut monstrem* modum agendi, *quô agit Deus in nobis, & quomodo voluntas obtemperat* &c. Quem clariùs exponit *sess. 1. p. 25. Dico*, agens, *intellectum* suô modô agere, & *habere actum reflexum. Nam aliter Deus intellectum illuminat; aliter luna lucem à Sole accipit, aliter Sol spargit radios in dolium, aliter verbum in mentem hominis spargit.* De *hoc* modo agendi *disputo.* Eundem & *sess. 7. p. 131.* simili *ab infante lactenti* desumpto exprimit, qui quidem à *sola matre nutriatur, longeq; imbecillior sit*, quàm *ut propriâ industriâ possit nutrimentum quærere.* Adeò ut hæc propositio vera sit: *Sola mater præbet lac.* Sed si quæratur: *Quomodo miser infans attrahat lac ex uberibus?* Dicit: *ipsum infantem attrahere & sugere lac, sed non sine materna directione: nisi mater ita dirigeret osculum infantis, nesciret infans: ita Deus dat nobis pœnitentiam, fidem & Sp. S. quæ certè non sunt nostrarum virium.* Hactenus ille.

22. Quæ omnia, *Strigelium* non de *externo*, sed *interno agendi modo* agere, & per *hunc* nil aliud, quàm *actionem voluntatis cum quadam electione, seu spontaneo assensu conjunctam* intelligere, ostendunt. Quanquam enim hoc expresse asserere non audet (sic enim se, ut sorex, proderet) similia tamen ejus id loquuntur. Hoc autem sic ostendimus: *In quocunq; naturaliter agentia*, verb. gr. luna, terra, &c. *discrepant à voluntate humana, illud intelligit Strigelius per modum agendi. Atqui in actione* seu *influxu alio* atque *alio illa ab hac discrepant.* E. *Major* patet tum ex dictis, tum ex hoc, quod *d. cit.* s. 1. p. 25. *Discerno voluntatem ab omnibus naturaliter agentibus, quales sunt terra, (proferens fructum*, quo simili sæpius se oblectat) *stellæ, & omnes creaturæ, exceptis hominibus & angelis. Voluntas non agit naturaliter, sed agit suo quodam modo. Minor* est indubia, quam *Victorini* similia illustrant. Aliter terram effectus suos, voluntatem aliter edere, asserit: nimirum, quia illa, ut agens naturale actionem suam non possit suspendere; hæc autem, ut liberum agens

gens

gens illud possit. Item aliter lunam, aliter dolium à Sole collustrari, ait: ideò scil. quòd illa aliquid naturæ lucis juxta nonnullos continens, in propiori ad illustrationem sui potentia sit, & aliquo actu (ut ait) *reflexo* solis illuminantis influxum jam receptum augeat, adjuvet, *suoq; modo* cum illuminante Sole agat: hoc autem (dolium scil.) longè aliter se ad sui illustrationem sc. merè passivè habeat. Sicut ergò lunæ præ dolio sua competit vis, seu *modus agendi*, quo ad sui illuminationem concurrit; ita &, (colligit *Strigelius*) homini præ reliquis agentibus sua competit vis agendi, qua ad conversionem concurrat, quæq; nihil aliud est, quàm ejusdem electio, seu spontaneus assensus ei inditus. Quam ejus mentem *simile infantis lactentis* ad oculum demonstrat.

23. In sensum igitur *modi agendi Strigeliani* nos jam penetrasse arbitramur; quem & alia nobis ostendunt momenta desumpta *partim* ab inscriptione propositionum *Strigelii*, sc ita se habente: *de L. A. viribus*; *partim* ab enumeratione trium conversionis causarum; *partim* (quod probè notandum) quod de *modo agendi externo*, seu medio, per quod agit Sp. S. videlicet de *ministerio Evangelii* nulla inter hunc & *Flacium* fuerit controversia, quippe utrinque concessa. Fatentur enim Orthodoxi unanimiter *hunc modum agendi*: Hominem in Sp. S. officina per ministerium vocis externæ converti & illuminari. Ut adeò aut ignorantiæ aut impudentiæ fuerit indicium, quando *Victorini* patroni, ut *Stöſſelius*, eum de *externo agendi modo* locutum esse, asserentes, aliquatenus sic purgare ipsum voluerunt: eam enim glossam tum modò dicta, tum *Victorinus* ipse falsitatis arguunt.

24. Ita autem cognitus *Strigelii agendi modus*, quàm sanus sit, hic saltem paucis (uberiùs enim illud sect. 2. §. 37. ostendet) prælibamus. Aliter *agentia naturalia*, aliter autem *hominem liberum* agere; *Strigelio* facilè possumus concedere; sed intra *sphæram activitatis suæ*, seu rerum corporalium & civilium limites consideratum, de quo inferiùs. Unde non sequitur: in his homini conceditur libertas: E. & in spiritualibus. Negamus *Victorino* hanc sequelam. Concedimus quidē & hoc, in conversione aliam esse caussarum naturalium; aliam item hominis rationem, quod inferiùs

com-

comparatio hominis cum trunco fusius docebit, interim tamen inde non infertur *Victorini modus agendi* in conversione. Quantum ad hunc enim, hominem ob omnimodam impotentiam suam non modò agentibus naturalibus esse parem, sed longè deteriorem sequentia ostendent. Et quid multis? *Victorini modus agendi*, utut Philosoph. â nixus videatur; ipsi saniori tamen reclamat Philosophiæ, quod sic ostenditur: Homo seu ejus voluntas est conversion[is] subjectum, quod inferius doctrina *de conversionis causis* probabit. E. ei malè tribuitur causalitas causæ efficientis, *qualis est modus agendi*, uti exempla adducta indicant. Meritò igitur cum F. C. hunc *agendi modum* damnamus, de quo vid. *B. Hutt.* explic. ejus p. m. 251.

25. *Secundus Strigelii* terminus est *aptitudo*, qui licet ἔγγραφος sit, 2. Cor. 3, 5. Col. 1. 12. hic tamen ex ejus mente nobis valdè insidiosus, imo heterodoxus habetur. Dicis: *Ipse B. Lutherus l. de serv. arb. f. 46.* eo usus. Verùm hic se facilimè purgat; quippe qui usus est hîc eo termino 1. *non tam ex rei veritate*, quàm κατ' ἄνθρωπον, quòd Pontificiis erat usitatus. 2 esto, quòd ex suâ eum terminum adhibuerit mente; statim tamen se explicat, distinguendo inter *ἱκανότητα activam & passivam*, quarum illa, synergismum redolens rejicitur, hæc admittitur. Est autem *ἱκανότης passiva* nihil aliud, quàm potentia passiva, quâ quid aptum natum est, ad recipiendam alterius formam ab agente introducendam, ut verb. gr. truncus objectus artifici habet *ἱκανότητα passivam*, ut ex eo fiat Mercurius, &c. in Physicis materia prima habet *ἱκανότητα passivam* omnes formas recipiendi, ceu commune formarum δοχεῖον & receptaculum. Eodem modo homini convertendo, cum *B. Luthero Comm. in Psal. 90. & c. VI Hoseæ, & in Postill. Eccles. Dom. 3. Epiph.* tribuunt orthodoxi *ἱκανότητα passivam*, nihil aliud dicentes, quàm hominem esse subjectum, quod converti possit. *Conf. Decl. F. C. p. 662.* Ubi tamen, quod monendum, inter exempla adducta hoc intercedit discriminis, quòd *posterius* ex *Physicis* desumptum innuat potentiam *naturalem*; *prius*, *ab artificialibus*, potentiâ *obedientialem*, seu *non repugnantiam* ad formas artificiosas; de quo vid. *Piccart. d. de form. educt. th. 36.* Unde & hoc magis, quamvis non per omnia, nostro convenit scopo. Dico: non per omnia; nam & *hanc non repugnantiam* in homine convertendo æquè, ac in formæ artificialis

2. *Aptitudo.*

*

cujusdam subjecto, non dari, inferiùs, ubi *de repugnantia* hominis convertendi agendum, explicabitur.

26. Interim tamen ἱκανότης *passiva*, homini concessa manet. *Victorini* autem ἱκανότης, differentiæ gratia, *activa* dicta, quâ homo constituitur aptus, vel idoneus aliquid *ex se* conferendi ad conversionem, uti *à priori* longissimè distat, ita citra dubium rejicitur ob II. Cor. III. 5. &c. de quo in seqq.

§. *Capacitas.* 27. Succedit *tertius Victorini* terminus *Capacitas*, qui sicut satis est ambiguus; ita & h. l. inconveniens: *Capacitas* enim dicitur aut de rebus *inanimatis* pro spatio loci, quid continente; ut in *Mathesi rotunda figura dicitur capacissima*; aut de *animatis*, & sic facultatem accipiendi quid infert, ut de homine dicta, vires & facultatem importat insitam, ut: *Homo est capax doctrinæ*, &c. quæ omnia vim & potentiam quandam ex natura subjecti emanantem important. Quæ vocis acceptio planè coincidit cum *aptitudine activa*, talemq; facultatem ἐνεργητικὴν, quâ quis ex se possit quid apprehendere, significat; adeoq; eodem cum illa hic jure gaudet, scil. nullo. Sin autem sensu *passivo* h. l. sumatur, ita ut nudam duntaxat subjecti convertendi notationem, & naturæ convertibilis qualitatem exprimat, h. m. quòd homo sit subjectum παθητικὸν, habile ad recipiendam conversionem; nihil absurdi involvit. Nam cùm in diabolis omni salutis spe planè frustratis (quod diabolorum & hominum discrimen notans *Victorinus*, non se, quod pueri in faba, reperisse putat, *Coll. Vin.* f. 10. p. 185. conf. sect. 2. c. 3.) inque impiis finaliter incredulis nulla sit spes conversionis reliqua; in brutis denique & inanimatis mera sit ἀδυναμία cœlestem gratiam recipiendi; solus autem homo licèt corruptus, conversionis capax fieri queat: ideò *capacitas* hoc respectu de illo prædicari potest, *capacitas* sc. *B. Luth.* dicta *passiva*, nequaquam autem, quod *Strigelius* intendit, *activa*. Et hæc esset *heterodoxorum Strigelii* terminorum evolutio ac sensus, cùm Sacra Scriptura planè adversâ pugnans fronte, quod sect. 2. cap. 1. & 2. evincet. De quibus igitur h. l. nihil ulterius, nisi illud *Augustin.* addimus: *Liberis verbis utantur Philosophi, sed nos in Ecclesia Dei sobriè, perspicuè & castè ad præscriptum Sp. S. loquamur.*

28. Sequuntur E. juxta §. 16. distinctionem, termini *Orthodoxi*, hîc in præliminaribus sicco, quod ajunt, pede nequaquam prætereundi, suntque vocabula *voluntatis*, *liberi arbitrii*, & *conversionis*. 2. *Orthodoxorum*, ut sunt

29. *Voluntas* ergò, quod ex Ethicorum scholis hûc accersendum sumitur *dupliciter*; vel in *actu primo* pro altera animæ rationalis facultate, *appetitiva* scil. cujus actus est τὸ simplex velle, quo sensu homini nemo, nisi qui eadē operâ hominum censu eum eximere velit, voluntatem uspiam denegabit: vel *secundo*, pro eo, qui ex dicta facultate fluit, *actu*; item pro certo quodam habitu, seu qualitate, quæ ad bonum liberè agendum, & ad malum liberè fugiendum est determinata. Quare ludit *Victorinus*, dum *negationem voluntatis* in spiritualibus ab *orthodoxis* propugnatam semper accipit sensu *priori*; nos *posteriori*. α. *Voluntas*.

30. *Liberi arbitrii* vocabulum autem, aliàs pluribus agitatum, ut ab omnibus, quibus scatet, ambiguitatibus liberemus, nec instituti ratio, nec chartæ angustia permittit. Quare nos uberioris cognitionis cupidum L. ad *Dd*. nostros remittentes, hac vice ita saltem procedemus: *Libertas* spectatur ratione vel *subjecti*, vel *objecti*. *Subjectum* ejus sicuti est vel *generale*, omnem naturam intelligentem, Deum, Angelos, homines, quamvis magno cum discrimine, de quo alibi, suo sub ambitu complectens, teste Damasc. l. 2. de *O. F.* c. 7. πᾶν λογικὸν καὶ αὐτεξούσιον; vel *speciale*, ad substantiam creatam intelligentem, ratione præditā restrictum: ita nos illo misso, hoc tantùm curamus. Hoc autem est vel *subjectum Quod*, totus scil. homo, qui integrum est agendi principium, totusq; velle & non velle dicitur; vel *subjectum Quo*, anima scil. non quidem tota, sed solius voluntatis respectu, à qua *libertas* immediato partu profluit. Quinimò *libertas* respectu *essentiæ*, de qua distinctione §. 39. considerata est nihil aliud, quàm ipsa voluntas, adeò ut voluntas & liberum arbitrium sint una eademq; potentia, diversimodè saltem accepta. *Voluntas* enim dicitur hæc potentia animæ rationalis appetitiva respectu *finis*, *liberum arbitrium* respectu *mediorum*, quæ ita assumit, ut etiam possit non assumere, vel alia assumere; respectu autem *virium libertatis* ipsa *voluntas* liberi arbitrii *subjectum* dicitur; siquidem vires illæ non per intellectum, sed voluntatem exseruntur. β. *Liberum arbitrium*. *idq*; *resp*. 1. *Subjecti* *ejusq*; *vel Quod*, *vel Quo*.

31. Hoc

Intellectus in quantum huc spectet. 31. Hoc *tamen* non eò rapiendum volumus, ac si à *libero arbitrio* prorsùs intellectum, seu judicium mentis exclusum velimus. Nequaquam. Utut enim *Bellarmino*, voluntatem in suis actionibus semper dependere *ab intellectus judicio practico* haud concedimus; interim tamen ad hoc, ut facultas appetitiva suam exserat libertatem, *ex parte intellectus cognitionem* requiri, quâ voluntati objecti bonitas exhibeatur, juxta illud; *Ignoti nulla cupido*; intrepidè asserimus. Quâ de causâ intellectum nonnulli *radicaliter liberum* dicunt, non quòd sit *causa & radix libertatis*, hæc enim est nec quoad *actum primum*, nec *secundum*; sed quòd sit *conditio, sine qua non* voluntas liberè operatur. Unde fit, ut, quemadmodum in aliis animæ facultatibus superior quæque inferiores omnes, non quidem in se inclusas habet, sed tantùm præsupponit, ita ut ex facultate sentiente non sit vegetatio ipsa, neq; hæc sit sensatio (disputamus autem hîc ex hypothesi) illa tamen hanc præsupponat: ita & *lib. arb.* non quidem propriam sedem suã figat *in intellectu*, nunquam tamen sit, nisi *præviam* habeat *mentis* & *judicii integritatem*, à qua suam tum *à fronte*, tum *à tergo*, uti loquuntur, habeat dependentiam. Quod ipsum indigitans F. C. de viribus & *mentis*, & *voluntatis* h. l. disputare voluit. vid Decl. p. 656. & seqq.

Lib. arb. distinguitur. 32. Attendentes autem *subjectum* distinguimus *libertatem* in eam à *violentia* seu *coactione*, & in eam à *necessitate*: *illam* appellando, quando voluntas quidem ad unum eligendum est determinata, non tamen cogitur; *hanc*, quando voluntas non est determinata ad unum oppositorum; sed positis omnibus ad agendum requisitis potest *agere*, & *non* agere; *hoc* & *illud* agere. Unde hæc *a necessitate* libertas subdistinguitur in *libertatem contradictionis*, seu quoad *exercitium actus*, quâ quis potest *agere* & *non agere*; vel *contrarietatis*, seu quoad *specificationem actus*, quâ quis potest *contraria agere*, & ex duobus hoc & illud facere, ut amare & odisse. Utraq; autem tum ipsius distinctionis, tum subdistinctionis libertas, quòd & in quantum homini competat, mox dicenda aperient.

Dicitur servum. 33. Quo concesso, ne appellatio L. A. *servi*, *B. Luthero*, &c. orthodoxis haud infrequens, scrupulum moveat, notandum est; τὸ *liberum* opponi vel *servo*, vel *coacto*. *Posteriori* modo sumptum *liberum*, voluntati etiam depravatæ competit: voluntas enim in ex-

tremà

trema servitute, depravatione, & necessitate peccandi libera est: siquidem non violento, aut coacto, sed libero motu ad peccandum rapitur. Cui si coactio adscriberetur, jam neque voluntatis, neque peccati (intellige *actualis*, non omne enim peccatum esse voluntarium, aliàs novimus inter alia ex *B. Meisn. Phil. sobr. c. 3. p. m. 249.*) vera ratio subsisteret: quæ coactio etiam *à conversione*, ceu nequaquam coactâ, est segregenda. *Priori* modo autem τὸ *liberum* nullatenus voluntati competere; sed hanc *in spiritualibus* planè *servam* esse, pluribus seqq. evincent. Quare in homine ex se spectato & *liberum* & *servum* est *arbitrium*: *Servum* ratione corruptionis naturalis; *liberum* ratione voluntatis, ad peccandum non per violentiam coactæ, sed suâ naturâ propensæ.

34. Frustra ergò *B. Luthero* ob L. A. *servum* dictum, aurem vellicant Papicolæ, aliàs & ambiguitatum vocabuli *servitutis*, libertatem *modò* tollentis, *modò* admittentis, de quo vid. *B. Meisn. anthrop. sac. dec. 3. d. 21. q. 3.* haud ignari. Quamvis, ἀκριβείᾳ terminorum spectatâ, huic difficultati omnem facilè præcidi potuisse ansam, non eamus inficias. Sicut enim τὸ *liberum* & *spontaneum*, docentibus *Ethicis*, plurimùm differunt; ita non sine aliquo terminorum abusu τὸ *liberum* accipitur pro *spontaneo*. Siquidem homines magis *sponte*, quàm *liberè* peccare dicuntur; præsertim cùm peccata *servitutis* magis sint, quàm *libertatis*, docente S. Scr. Joh. IIX, 34. Rom. VI, 20.

35. Excipit hæc *alterum* distinctionis *generalioris* §. 30. datæ membrum, libertatis sc. *objectum*; quod nos aliis missis, ceu primarium, & reliquorum compendium facimus *bonum*. Ne quis autem hic nobis statim objiciat & *malum*, ut libertatis objectum, idq; teste libero arbitrio protoplastorum, perfectissimo quidem, *malum* tamen amplexato; tritam illam *Metaphysicorum* distinctionem hic tradimus *Bonum* scilicet *dupliciter* consideratur, vel quoad suum *materiale*, vel *formale*: *materiale* s. *res*, *quæ* à lib. arbitr. appetitur, potest esse *& bona & mala*; *formale*, seu *ratio sub qua* L. A. in objectum tendit, *non nisi bonum est*. Sufficit igitur, ut hoc objectum, licet non *revera* bonum, saltem *appareat*, sub *ratione boni*, teste Philos. διαφέρει δὲ οὐδὲν αὐτὸ ἀγαθὸν λεγόμενον, ἢ φαινόμενον. 1. Phys. c. 3. & 5. Met. c. 2. *2. Objecti, quod quid sit exprimitur.*

36. Cæterùm cum omne *bonum*, *alteri* scil., consistat in convenientia, conveniens autem nihil sit, vel minimùm habendum sit, nisi quod rectæ rationi, adeoq; ipsi legi divinæ conforme est: hinc rectissimè nihil à nobis dissentientes, *Theologorum* nonnulli, horumq; Coryphæus *B. Chemnitius legem* Dei, verum ac proprium adeoq; *propinquum* objectum statuunt, ita ut quando *bonum* in *lege* Dei monstratum eligitur; malum ibidem prohibitum spernitur, tum lib. arbitr. circa proprium objectum suũ versari dicatur. Quod quî fiat *duplici sensu*; *alternato* & *conjuncto*, satis exponit *Hutt. in LL. l. 7. c. 2.*

Distinguitur 37. Datum autem objectum nostrum porrò facimus vel *universale*, vel *particulare*: *illud* appellamus *bonum* quodcunque, *formaliter* scil. spectatum; *hoc* autem in *profanum* & *sacrum* distinguimus. *Illud* suppeditat actiones 1. *civiles*, 2. *morales*, 3. *artificiales*. 4. *naturales* s. *animales*. De quibus tamen postremis hoc tenendum, *in profanum* quòd quia naturæ instinctu sine prævia προαιρέσει fiunt, tantumque actiones *hominis*, non *humana*, *ut Thom. 1. sec. q. 1. a. 1.* distinguit, dici merentur, quippe homini cum brutis communes, vegetativam, sensitivamq; animam respicientes; ideò per se non cadant sub L. A. objectum, sed tantùm per *participationem*, qt. rationis imperio parere nata sunt, certoq; modô à L. A. determinari possunt. Quod alii exprimunt ita: *morales* actiones esse liberas *intrinsecus* & *elicitivè*; *naturales extrinsecus* & imperativè. *B. Gerh. Disp. Isag. 27. c. 6.* *sacrum.* *Hoc sacrum* exhibet actiones 1. *externas*, seu eas, quæ externam Ecclesiæ politiam & disciplinam concernunt, ut: *templum Dei accedere, verbum audire, legere*, &c. 2. *internas*, s. eas, quæ propriè spectant ad sinceram religionem, æternamq; animarum salutem, ut: *assentiri Evangelio, in Christum credere*, &c.

38. Circa quæ *objecta* omnia autem quomodo L. A. sese vel habuerit, vel habeat, classica illa *statuum* hominis distinctio in *institutum, destitutum, restitutum*, eumq; vel *inchoatum*, vel *consummatum* ubique apud nostrates *Theologos* pluribus exponit. Nos igitur *primum* & *quartum*, ceu ad præsens qui parum faciunt, linquentes, de *secundo* principaliter & primariò; *tertio* autem secundariò & consequenter solliciti, tùm in ipso quæstionis cardine, tum sequentibus orthodoxam asseremus sententiam.

39. Pro

39. Pro coronide igitur hujus termini id, quod primò notandum fuisset, addimus, *libertatem* sc. *dupliciter* spectari; *vel* ratione οὐσίας, *quid sit, vel* ἐνεργείας, quid possit. *Priori* modo cùm libertas sit ipsa hominis voluntas, conf. *§. 30.* quæ ab anima rationali *non realiter* differt (potentias enim animæ saltem *ratione* ab ea distingui, ex saniore Philosophia *Ampliß. & Excell. Dn. Zeisold. P. P. Honorarius, Promotor & Præceptor meus nunquam non suspiciendus* ostendit *in Meditat. Phys. c. 7. sect. 4.*) sed cum ea est unum ταυτὸ: tantum abest, ut hoc respectu homini L. A. denegemus, ut potiùs quovis in statu eum liberum esse, eandemq; libertatis essentiam habere asseramus. Sicut enim anima ipsa rationalis lapsa non est destructa; ita & voluntas qt. est potentia *libera, essentialiter* non est immutata, licet *accidentaliter* depravata sit, & perficienda. *Posteriori* autem acceptione hominis L. A. pro statuum & objectorum variatione, valdè variare, modoq; negandum, modoq; asserendum esse, probatum dabunt dicenda.

40. Quare turpissimum, *vel* ex ignorantia, *vel*, quod verisimilius, ex contumacia commisit lusum, *Strigelius*, susq; deq; habitâ modò datâ distinctione, circa hanc quæstionem: *Num L. A. sit omninò ablatum, deletum, an verò tantùm depravatum, corruptum?* asserens: *Necesse est, retineri discrimen inter liberum agens, & naturaliter agens, quo sublato tollitur, discrimen inter Deum & plurimas creaturas, quæ agunt naturaliter,* &c. Vid. *disp. Vinar. f.* 1. *p.* 22. *item f. 2. p. 29. depravationem L. A. agnosco, profiteor & deploro. Sed prorsus ablatum ab homine L. A. non assequor vel intelligo* &c. ut *& f. 5. p. 101.* ubi urget *velle* suum *quoad substantiam actus.* Quibus sanè omnibus, quamvis satis operosus, nihil tamen aliud agit *Strigelius*, quàm quod cum larvis pugnet. Quis enim unquam eo negavit sensu L. A. ut ad brutorum, vel naturalium agentium subsellia hominem detruderet? Certe data distinctio ex totius disput. cursu ei haud ignota, eum vel rectiùs informare, vel ab ejusmodi lusu turpissimo dehortari debuisset.

41. Sed pergimus juxta *§. 28.* promissum, ad vocabulum *Conversionis* evolvendum. Conversionis itaq; vocabulum, Ebræis תשובה, Græcis ἐπιστροφὴ dictum, sumitur *Conversio quæ sumitur*

1. transitivè vel 1. *Transitivè, vel intransitivè*, idq; vi suorum primitivorum שוב & ἐπιστρέφειν, geminâ hac acceptione occurrentium. *Transitivè* sumptum notat *actionem Sp. S.*, quâ in peccatore per legem seria excitatur contritio, & per Evangelium fides salvifica accenditur: cum proposito à peccatis abstinendi, vitamq; corrigendi. Quæ conversio aliàs dicitur *regeneratio*, sc. *adultorum*: aliàs enim *regeneratio* latior est *conversione*; *hæc* importat respectum ad commissa peccata, tanquam *terminum à quo*, nec dicitur quis converti, nisi qui Sp. S. gratiâ peccata agnoscit & detestatur, ut infantes *renascuntur*, non *converti* dicuntur. Hujus autem significationis exempla sunt Jer. XXXI. 19. Psal. LXXXV. 2. & 5. Luc. I. 16. Jac. V. 19.

intransitivè *Intransitivè* verò magis denotat *actionem hominis immanentem*, qua agnitis ex lege peccatis iram divinam formidat, deq; admissis dolens fide in Christum se erigit, cum certo vitæ emendandæ proposito, quo modo dicitur *pœnitentia, totaliter* sumpta.

2. generaliter 42. 2. *Conversio intransitiva s. pœnitentia* capitur iterum vel *generaliter*, pro quorumlibet peccatorum agnitione, indeq; nato dolore, verâ fide in Christum suffulto, quomodo pœnitentiam agere dicuntur *renati* in statu gratiæ, quoties peccatorum infirmitatis remissionem petunt; diciturq; *pœnitentia*, vel *conversio stantium*, *vel specialiter* vel *specialiter & strictè* pro pœnitentia seu conversione hominis in peccatis *mortui*, & extra gratiæ statum constituti, salutaturq; *conversio lapsorum*.

43. Hanc autem distinctionem probè tenendam esse, postu-*qua differunt* lat & res ipsa, & *Victorini* circa eam commissus lusus. Quantum ad illam, *pœnitentia generaliter*, vel *specialiter* accepta differunt.
1. 1. *Principio*: *Hæc* est solius Dei, verbo in homine operantis actio, seu ejus sola *actualis gratia*, II. Cor. II. 14. Joh. VI. 44. & 45. I. Pet. I. 23. Tit. III. 5. *Illa* præter *actualem* Sp. S. *operationem* addit, ut caussam, *habitualem* renatorum, antè in regeneratione ipsis collatam, in renovatione verò auctam *gratiam*, ceu in iis non otiosam, sed perpetuò negotiosam, Gal. V. 6. Matth. VII. 18. Quæ tamen *habitualis* renatorum gratia *actualis* Sp. S. gratiæ concursum omninò prærequirit: hæc enim illam non modò fovet, conservat, auget;
2. sed etiam in omnibus actibus cooperando adjuvat. 2. *Terminis à quo, & ad quem*. Conversionis *generaliter* acceptæ *terminus à quo* est

vetus

vetus homo, cujus potissima ratio in concupiscentia prava sita est; *terminus ad quem* verò *novus* homo, in sanctitate & justitia inhærente constitutus, Eph. IV. 22. Col. III. 10. qui *vetus* & *novus* homo sibi opponuntur *contrariè* Gal. V. 17. Rom. VII. 23. *Specialiter* usurpatæ *term. à quo* est *mors peccati*, quatenus hæc formaliter carentiam credendi virium infert Col. II. 13. *term. ad quem* autem sunt *vires credendi*, seu ipsa *fides salvifica*, Gal. II. 20. quæ *mors* peccati & *fides* salvifica sunt opposita *privativè*. 3. *Subjecto.* Conversio 3.
prior habet pro subjecto hominem viribus gratiæ instructum & *fidelem*; *Posterior* hominem in peccatis *mortuum*, omnibusq; viribus spiritualibus destitutum. 4. *Ratione formali.* Conversio *generaliter* intellecta est actio *immanens*, &, licet sit actio *partim* Dei, *partim* hominis per fidem seipsum emundantis; *non* tamen *Deum*, sed *hominem intrinsecè* denominat, quem *pœnitere*, s. *se convertere* dicit. Nam non Sp. S. sed homo, ejusq; *intellectus* dicitur sanctè cogitare, peccata sua agnoscere, Christum Redemptorem cognoscere: homo itidem, ejusq; *voluntas*, non Sp. S. dicitur bona spiritualia appetere, peccata detestari, Christum fide arripere. Idq; fit ad modum aliorum actuum *immanentium*, qui, utut à *prima* & *secunda* caussa dependentes, non tamen tam primam, quam secundam denominant, ob hanc rationem: quia hujusmodi denominationes *non desumuntur ex pura efficientia; sed magis ex informatione, & receptione motus, aut actus effecti. Non enim dicitur videre, qui utcunque facit visionem, sed qui ita facit, ut eâ informetur*, ait *Suarez disp. Met. 17. s. 2. n. 7.* Ita non dicitur *pœnitere*, qui facit, vel caussat pœnitentiam, ut Sp. S. sed qui ita eam caussat, ut eâ informetur, ut homo. *Specialiter* sumpta *simul* est actio *transiens*, quæ *Deum agere*, *hominem* verò *pati* denominat; idq; ideo; quia pœnitentia h. m. accepta s. *conversio intransitiva*, & *transitiva non* differunt *realiter*, sed solâ ratione ob diversa connotata. Quatenus enim *conversio* spectatur ex parte *caussæ efficientis*, notatq; *nudam* actuum spiritualium *efficientiam*, seu à Sp. S. dependentiam; dicitur *transitivè* sumi: quatenus autem ex parte *subjecti*, & præter efficientiam connotat *receptionem* actuum illorum in ipso agente, ita ut ipsum agens iis etiam informetur; eatenus dicitur intransitivè sumi, & *pœnitentia* vocatur; uti hoc pluribus docet *Pl. Rever. & Excell. Dn. D. Musæus, Præceptor meus æternùm filiali cultu prosequen-*

dus de convers. d. 1. §. 39. & seqq. Tandem 5. *Ordine & reiteratione.* *Specialis conversio* est primum opus gratiæ, quod Sp. S. interius in homine peragit, adeoq; non solùm *naturâ*, sed & *tempore* prior est; nec nisi post fidei & Sp. S. excussionem repetitur: *Generalis* autem *naturâ & tempore* altera est posterior, ac ob creberrima infirmitatis delicta sæpissime repetenda, juxta I. Joh. I. 8. & 9.

44. Totuplex igitur cùm sit hujus distinctionis ratio, facilè liquet *alterum* ejus h. l. probè observandæ momentum, *Strigelii* lusus. Sic n. ille de *Conversionis* significatione loquens: *Disertè distinxi*, infit, *initium conversionis* seu *primam fidei scintillam ab ipsa conversione, quod ideò feci, ne ista duo confunderentur. Aliud est loqui de initio alicujus motus; aliud de entelechia, de continuatione ejusdem, &c. Sic distinguo* inter *primum motum, & perpetuam pœnitentiam, quæ teste Luthero* per totam vitam N. *durare debeat &c.* Et paulò pôst: *Cum conjungo tres causas, voco tria concurrentia &c. non intelligo initium, sed continuationem, quæ sequitur initium usque ad finem vitæ &c. d. Vin. sess. 5. p. 100. & sess. 9. p. 161.* Quòd hic *Victorinus 1. pœnitentiam esse similem motui. 2. esse per totam vitam continuandam* dicit, utrumque quidem largâ damus manu; sed hoc, quòd vocabulo *conversionis generaliter*, cùm *specialis* significatio in controversiam veniat, accepto ludat, maximè improbamus. In hoc enim tantis à re ipsâ, quantum inter utramque acceptionem intercedit discriminis, discedit passibus, sanè haud tolerandis.

3. vel prima 45. 3. *Conversio* ex *diversitate subjectorum*, seu potius *conditionis* subjecti convertendi aliquod sortitur discrimen. *Subjectum* itaq; convertendum est homo *vel extra Ecclesiam* constitutus, & paganus; *vel* homo semel quidem in *Ecclesia renatus*, sed hoc statu, fide & Sp. S. per peccata excusso, à seipso deturbatus. *Priori* respectu *conversio* dicitur *prima*, ceu quam nulla in subjecto antecessit

vel secunda alia: *Posteriori* dicitur *secunda & lapsorum*, eò quòd subjectum hujus sit homo denuò lapsus, & in quo alia jam præcesserit conversio. Utraque autem contradistinguitur illi, quæ *conversio stantium* §. 41. appellabatur. Ubi præter illic adducta distinctionis fundamenta, & hoc notandum: quòd sc. *stantium*, & cœterorum, sive *paganorum*, sive *lapsorum* conversio in nominibus sibi imponendis discrepent. *Hæc, paganorum* sc. vel *lapsorum* conversio, cùm *transi-*

tivè

tivè, tum *intransitivè* accepta, *priori* respectu regeneratio, *posteriori* *pœnitentia* dici potest & solet: *illa* (*stantium*) nunquam *regenerationis*, sed tantùm *pœnitentiæ* vocabulum admittit; vel si *conversio* salutatur, hæc vox *tantùm intransitivè* sumitur. *Confer: prælaudatus Dn. D. Musæus c. l.* §. 49.

4. vel pro subitanea vel lenta.

46. Deniq; 4. ratione *temporis* & *motus* conversio *alia* est *subitanea* & *quasi violenta*; *alia* verò *lenis ac lenta*: *Prioris* exemplum præbet *Saulus* ἔτι ἐμπνέων ἀπειλῆς ϗ φόνου conversus, Act. IX. 1. *Posterioris Magi*, Matth. II. 1. seqq. & *Eunuchus* Æthiops, Act. VIII. 27. seqq. Quæ diversitas tamen non aliunde, quàm à liberrima Sp. S. hunc citiùs, illum tardiùs convertere volentis, voluntate dependet, monente B. *Huttero in expl. F. C. p. m.* 166.

47. Et hisce *terminorum* cùm *hetero-tum orthodoxorum evolutio* sese contineat: quam ipsius rei cardo, *controversiæq; status* excipit.

Status controversiæ.

1. κατ᾽ ἄρσιν.

48. Quando igitur nos inter & *Strigelium* quæritur, *quid L. A. vires in conversione præstare possint*: *non* est quæstio

I.

1. De conversione *generaliter* acceptâ, seu *stantium*; sed de *specialiter* sumptâ, eaq; sive *prima*, sive *secunda*, quatenus scilicet motum quendam spiritualem, per quem homo ad Deum, à quo aversus erat, convertitur, significat.

49. Notanter dicitur: *sive prima, sive secunda*: utut enim potissimùm h. l. attendatur conversio *prima*; nil tamen impedit, quò minùs & *secunda* considerari posit & debeat. Idq; quia quantum ad hoc nihil differunt. Si quid enim discriminis his intercedit, aut illud erit ex parte *intellectus* aut *voluntatis subjecti* convertendi, seu hominis *lapsi*. Nihil enim aliàs ex parte hominis, in quo conversio fiat, præter *intellectus* & *voluntatis* actus ostendi potest, utpote quibus positis ponitur, & sublatis omnis tollitur conversio. Quod autem *nec* à *parte voluntatis*, patet inde; quòd hi, qui fide & Sp. S. excusso, salutari fiduciâ per charitatem operante se privarunt, *lapsiq;* sunt; æquè ac nunquam renati desideria carnis perficiant, ac *voluntatis respectu* nihil à se mutuo distent, nisi forsitan majore, vel minore malitiæ gradu, qui ex accidenti est. Quod item *nec* à parte *intellectus* quidquam intersit, quod ad rem faciat, sic ostenditur. Ex parte *intellectus* quidem *secundæ conversionis subjecta*

jecta, seu homines *lapsi* sunt *duplices*: *quidam* adhuc *aliquo assensu*, quo mysteria credunt, *præditi* hypocritarum numero accensendi sunt, ut Matth. VII. 21. 22. Luc. XIII. 26. Jac. I. 22. c. II. 14. *quidam* autem eò impietatis procedunt, ut præter *fiduciam* etiam *assensum* perdentes, à Christianismo deficiant, *notitiâ* quidem mysteriorum in illis remanente.

50. *Posteriores* & *fiduciâ* & *assensu* destituti ipsis *paganis* deteriores sunt, quippe contumaciores, & ob gratiam semel acceptam, at rejectam culpabiliores II. Pet. II. 20. Quare & *hi* rursum convertendi non aliter se habent, nec habere possunt, ac ipsi gentiles, *conversionis primæ subjecta*. Esto enim, quòd in illis reliqua sit aliqua *mysteriorum notitia*; illa tamen cum sine salutari *assensu* nulla sit, quippe & in irregenitum cadens (ut probabunt mox dicenda) *lapsum* à *pagano* nihil distinguit; sed utrumq; obtenebratum, cœcum relinquit. Exemplo nobis sunt Judæi, mysteriorum Evangelicorum *non ignari*, nihilominus tamen *cæcitatis* accusati, Matth. XXIII. 16. Joh. IX. 39. *Priores*, *notitiâ* scilicet & *assensu* adhuc pollentes, licèt *lapsis* reliquis, & *paganis* aliquatenus sint meliores: adhuc tamen illis nequicquam, quod illuminationem intrinsecè constituat, præ cæteris accedit. Ratio est: quia & assensus ejusmodi cadit in irregenitos, vid. inferiùs §. 63. adeoq; non est vera illuminatio, sed adhuc fides mortua, ipsis diabolis competens, Jac. II. 19. Ut ita & *hi* æquè ac *gentiles* adhuc sint mente obtenebrati, nullaq; quantum ad ipsos *conversionis actus intrinsecos*, præ his prærogativâ gaudeant. Unde hic agi de *conversione* seu *prima*, seu *secunda*, non immeritò diximus.

51. Porrò non est quæstio

2. 1. De statu *restituto* in hac vita, seu *inchoato* (multò minùs de *instituto*, vel *consummato*) seu *restaurationis post conversionem*: tum etenim hominem pollere *libero* (potiùs *liberato*) *arbitrio*, orthodoxi non negant. Namque homo in spiritualibus reparari cœptus, ob perpetuam carnis & spiritus luctam ad plenam primi hominis perfectionem quidem adspirare nescit: interim tamen carne mortificata, συνεργείᾳ quâdam, & *cooperandi* viribus *non* quidem, quod probè notandum, *ex naturâ* pullulantibus, sed à Sp. S. per verbum gratiosè infusis & excitatis pollet. Sed de statu *destituto*, ante conversionem, in quem homo præcepti transgressione lapsus est.

52. Sicut

52. Sicut itidem nulla est controversia 3.

3. De *libertate ratione* σχέσεως spectata, seu ipsa *animæ* rationalis *substantia*; num habeat *potestatem aliquam judicii* in *mente*, & *electionis* in *voluntate*? quod *quisquis negaverit*, *Catholicus non est*, *judice Augustino de Gr.* & *L. A. c.* 2. sed de ea *respectu* ἐνεργείας. Nec

4. De *libertate à necessitate coactionis*, nec *à necessitate Physica*, &c. sed de libertate à *necessitate immutabilitatis*, quæ consistit in *indifferentia* ad *utrumq;* oppositorum. Hæc autem *indifferentia* importat formaliter *negationem determinationis ad unum*; & præter hoc connotat etiam *vires agendi*, & *non agendi*, *vel* inter actus *contrarios utrumlibet* agendi: seu connotat vires, quibus agens ita *agit*, ut positis omnibus ad agendum requisitis possit *non agere*, vel *aliud* agere. 4.

53. Nec 5. de *libertate* circa actiones vitiosas: *Num* sc. *mens* & *voluntas sint liberæ ad peccandum*? Has enim *liberè* non *coactè*, nec *simplici necessitate* peccare, tùm contra *Manichæos*, tum *Calvin:* nonnullos, qui statuunt ita voluntatem subesse directioni divinæ, & per eam ad singulos actus, etiã *malos* determinari, ut quæcunq; agit, necessariò agat, nec possit non agere, vi. *Cham. Panstrat. Cathol. t. 3. l. 2. c. 1.* intrepidè asserimus *Conf. §. 33.* Facimus autẽ actus *malos duplicis generis*, 1. sunt *motus* & *actus subitanei*, aliàs *primo-primi* dicti, qui absque deliberatione *præter*, vel *contra* voluntatem non tantùm in *non-renatis*; sed & *renatis* exsurgunt, ut in *mente* subitò natæ *cogitationes* pravæ, in *voluntate* inordinatæ *concupiscentiæ*. Et quantùm ad *hosce*, homines non sunt liberi: eo ipso enim, quod sine deliberatione oriuntur, hominum nulli integrum est, eos intermittere, vel non exercere, juxta illud Matth. VII, 18. 2. Sunt *motus deliberati*, ut quando quis consultò pravis indulget concupiscentiis, terrenorum desideriis spiritualia postponit &c., & horum intuitu homines suâ gaudent libertate. Quamvis enim naturâ determinati sunt homines ad *specificationem actûs*, seu *malum confusè*, ita ut ne quicquam salutariter vel *cogitare*, vel *desiderare*, nec omni etiam *deliberato repugnantiæ* actu carere possint; *non æquam enim habent potestatem non-renati sicut ad peccandum, ita etiam ad non peccandum, ait B. Chemnit: Ex: C. T. p. 1. p. m. 208.* ita tamen non sunt determinati ad *individuationem actûs*, hoc est, ut quemlibet actum 5.

malum in individuo voluntas *necessariò* exerceat. Neque enim voluntas ita necessariò fertur in malum, ut *in particulari* quodlibet peccatum, quod committit, verb. gr. adulterium, homicidium, committat necessariò; sed dicitur *determinata ad malum*, quia non potest non peccare; ut, licèt *non necessariò* tendat *in hoc* peccatum, sc. homicidium, *nec in illud*, sc. adulterium; non possit tamen, quin *vel in hoc, vel in illud, vel in aliud* quodcunq; feratur, illudq; vel interno, vel externo actu committere gestiat, ut Jer. XIII. 23. Ita igitur cum libertate hominis circa peccatum comparatum est; & de eâ sic differendum, *ut doctrina de tyrannide diaboli, & potestate tenebrarum* &c. juxta Scripturæ phrasin Ephes. II. 2. II. Tim. II. 26. II. Corinth. IV. 4. Actor. V. 3. &c. *probè inculcetur*, monente *B. Chemnit*. c. l.

6. 54. Nec 6. de *libertate* circa actiones *medias*, seu *indifferentes*, ut *civiles*, morales, &c. in hujusmodi enim, quæ juxta *B. Lutherum*, omnia voluntatis objecta in *duo hemisphæria, superius*, & *inferius* dividentem, *hôc* clauduntur, voluntati etiam *non renatæ* suam constare libertatem, nemo ivit inficias. Quippe quod cum S. Scr., ostendente, hominem posse quædam facere, quæ non facit, & contrà; imò expressam voluntatis nostræ conditionem exprimente: *Si volueritis* Esa. I. 19. & ipsa *ratio*, discrimine honestorum & turpium, dictitat; quod sanè non esset, nisi in voluntate aliqua facultas, quâ loco-motiva regi, & externa morum disciplina præstari posset, esset superstes.

7. 55. Nec 7. de *libertate* circa actiones *sacras externas*, seu *pædogicas*, ut: *conciones sacras audire, verbum legere, meditari*, & *intelligere*, & ejusmodi alia peragere opera *externa*, in sensus exteriores incurrentia. Nullam enim harum actionum *non renato* denegamus, sed L. A. cum F. C. circa hæc firmissimè statuimus, ita ut naturali sensu, atque organo aurium corporeo verbum prædicatum percipere, aliquâ mentis indagine persequi, & meditari, vel somnolentiùs illud audire, atque obiter saltem expendere, vel obturatis auribus prorsus respuere homo *non renatus* possit. Quam assertionem nostram eò studiosiùs, quò frequentiùs eam cum vero *controversiæ statu* confundens *Victorinus*, ingeminat *in disp. Vin. hominem converti aliter, ac naturale agens, vel truncum*; tenendam, sequen-

ſequentibus, idque tum *Scriptura*, tum *ratione* demonſtratum ibimus.

56. Præter loca verò Scripturæ Rom. X. 2. Amos VIII. 11. Luc. X. 24. præprimis huc facit Rom. I. 19. 20. τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ ſeu notitias naturales nobis inculcans: id quod *dupliciter*, illarum & *genuinum*, & *accidentarium* finem monſtrando præſtat. Quantum igitur ad notitiarum naturalium *finem genuinum* & *primarium*, eas ideò homini eſſe inſitas, ut eſſent via & cauſa *Deum inquirendi*, certiſſimum eſt ex Act XVII. 27. qui finis ſanè, niſi *irregeniti*, notitiâ naturali ducti aliquid de Deo percipere poſſent, fruſtraneus eſſet. Quamvis enim reſpectu *notitiæ revelatæ*, *naturalis* tenebrarum potiùs, quàm lucis nomen meretur; eam tamen illa menti humanæ adfert lucem, ut licèt, qualis Deus ſit colendus, neſciat, tamen aliquem venerandum ſciat. Quam ſcientiam, ſi *non-renati*, ceu ſtatuam Mercurialem ſequantur, nec ei vim inferant, ſeu, ut cum Apoſtolo loquar, *veritatem in injuſtitiâ detineant*, Rom. I. 18. fieri nequit, quin hæc ulterioris, ejusq; ardentioris cognoſcendi Dei ſtudii in iis ſit calcar & ſtimulus. Ex quibus alter, quē dicimus *accidentarium*, τοῦ γνωστοῦ finis per ſe fluit. Hic autē eſt nullus alius, præterquam Ethnicos, ideò quòd Deum, quem duce naturâ, ex viſibilibus ſcil. inviſibilem colligentes, inveſtigare poterant, non quæſiverint, ἀναπολογήτους reddere, Rom. I. 20. Unde, quòd Deum *notitiæ naturalis* beneficio inquirere, atque adeò quædam de eo audire & percipere potuerint, quippe qui aliàs ignorantiæ ſuæ patrocinium ſtatim inveniſſent, nemini non liquet.

57. Id quod & luculentisſimè aliquot gentilium, ut: *Reginæ Arabiæ* I. Reg. X. 1. *Magorū* Matt. II. 2. *Herodis*, Johannem ἡδέως audientis, Marc. VI. 20. *Sergii* Act. XIII. 7. &c. præprimis verò & illud *Judæorum*, Joh. VIII. 46. ſeqq exemplū nos docet. Hi enim ſanè *irregeniti* ſatis tamen rigidè cum Chriſto diſputantes, quin ſenſum verborum Chriſti, adeoq; fidei myſteria perceperint, quis dubitet? Cùm certè absque hoc non linguæ virulentiâ, ſed & lapidum (ut moliebantur) violentiâ in Chriſtum vix invecti fuiſſent. Hunc autem verborum ſenſum non ſupernaturali Sp. S. revelatione, quippe cujus conſilium ſpernebant, Luc. VII. 30. ſed naturali vi imbiberunt. Quò etiam reſpiciens Apoſtolus, ſe Chriſtum Judæis σκάνδα-

λον, Græcis μωρίαν prædicasse, asserit. Quod si igitur *Christus*, vel doctrina Evangelii à potissima sui parte, i. e. crucifixione Christi, (notante Bald: in h. l.) denominata Judæis fuit *scandalosa*, Ethnicis *stulta*; utrisq; ea, quantum ad verborum significationem, propositionumq; sensum fuit percepta. Res enim non intellecta quî posset esse vel scandalosa, vel stulta?

58. Hisce porrò *Scripturæ* fundamentis, suas & ipsa *ratio* superaddit conclusiones petitas.

1. à *voluntatis in cæteras potentias imperio*. Hasce enim, de quibus hîc sermo est, actiones, ut: *conciones sacras frequentare, verbum prædicatum percipere* &c. esse ejusmodi, quæ tum ad *locomotivam*, tum ad *cognoscitivam* facultatem, seu sensuum ministerium spectant, nemo dubitat. Sicut autem *voluntatis imperium* in loco motivam & sensationem, non modò est πολιτικὸν, sed δεσποτικὸν & *quoad actum*, & *quoad specificationem* (*voluntas* enim *loco-motivæ* imperare potest, *tum* quoad *actum*, quo ambules, vel non ambules eum ad locum, in quo verbum Dei prædicatur; *tùm* quoad *specificationem*, quo ambules, vel quiescas; item *voluntas* imperare potest *sensibus* & quantum ad *actum*, ut vel videas, vel non videas: & ad *specificationem*, ut vel audias, vel videas sacrorum administrationem) *uti Excell. D. D. Gosman in Alma Varniaca P. P. Præceptor meus honoratissimus in Horosoph. Philos. art. 202.* docet, ita & inde circa ejusmodi actiones L. A. esse concedendum, luce meridianâ clariùs patet.

2. à *sensuum ministerio*. Hi, ut potentiæ cognoscitivæ ita sunt comparati, ut objectum cognoscibile, verb: gr. visus rem coloratam, &c. nacti, non possint non illud cognoscere. Quare cùm (juxta illud tritum:) *Nihil sit in intellectu, quin priùs fuerit in sensu*, intellectusq; ab operatione sensuum, species suas sensibiles, intellectui, ut intelligibiles objicientium, dependeat: hinc eadem ratione intellectus, à phantasmate objectum intelligibile adeptus, non potest non id cognoscere. Ejus enim naturæ activæ est, ut cum phantasmatis opera ad specierum intelligibilium productionem statim concurrat. Quemadmodum igitur, ut quis literas & syllabas, mysteria fidei tradentes, vel videat, vel audiat, sensuum beneficio utitur; ita ut, quem conceptum illæ animo ingenerent, cognoscat, intellectus præstat.

59. 3.

59. 3. *à vocum officio.* Voces ex instituto significantes, ut rerum signa, in *actu* constituta potentiæ cognoscenti, sive sensitivæ, sive intellectivæ objectum naturaliter repræsentant, faciuntq; ut in rei significatæ perceptionem potentia cognoscens deveniat. Unde sicuti voces, ut: *Deus*, *homo* non minùs in Scriptura, ac in aliis sunt & manent signa: ita non minùs in exhibendo tam *non renati*, quàm *renati* intellectui objecto, suo funguntur officio, intellectum actutum in rei perceptionem deducentes.

60. Et hoc est, quod D. Paulus inculcat seriò, ut fidei mysteria perspicuo & recepto loquendi modo proponantur, I. Cor. XIV. 7. & seqq. Quod sanè frustra faceret, nisi voces significantes eâ vi, quam aliàs habent, menti scilicet conceptum ingenerandi, & in sacrorum tractatione pollere, adeoq; tam *irregenitos* quàm *renatos* insitâ verborum significantium virtute in rerum agnitionem deducendos, nec ad vocum nativam significationem percipiendam, peculiari revelatione elevandos esse, vellet & præsupponeret.

61. Qua de causa, eò quòd voces in contexru non minùs sunt signa; & *complexè* sumpta non minùs potentiæ intellectivæ sensum repræsentant, quàm *incomplexa*; tam *irregeniti*, quàm *renati* non modò verborum *seorsim*, sed *totius contextus* sensum, absque supernaturali Sp. S. revelatione *suo modo* intelligere, indeque sibi *qualemcunq;* articulorum fidei cognitionem, *historicam* sc. comparare possunt. Ut cùm dicitur; *mundum esse ex nihilo in tempore creatum, Deum in plenitudine temporis Filium suum misisse*, &c. etiam *non renati*, modò linguæ gnari, verborum sensum assequi valent. Quod ipsum iterum Paulus l. c. non modò de vocibus *incomplexis*, quorum sensus citra revelationem auditori innotescere posit; sed & de *complexis*, seu integra enunciatione, ut fidei articuli εὐσήμῳ λόγῳ seu receptâ loquendi formulâ proponantur, præcipiens, comprobat. Adhortatio enim ejus, nisi verba & enunciationes in fidei mysteriis nativam significandi vim retinerent, sed Sp. S. supernaturalem, ad sensum immittendum, operationem poscerent, tota in fumum abiret. *Posito* enim, *non concesso*, Sp. S. verborum sensum supernaturaliter suppeditare, certè, sive verba significantia, sive non adhiberentur, perinde esset: cum æquè per utraq; Sp. S. suo defungeretur officio, & verbis peregrinis nihil obstantibus, supernatura-

liter de verborum sensu homines erudiret. Quod dum Apostolus negat; nil aliud, quàm nativam verborum significationem & sic id, quod sui muneris, præstare, imò debere, atque adeò quemvis in horum sensum penetrare posse, affirmat.

62. Quamobrem duobus verbis dicimus; Quia fidei mysteria in Scriptura verbis perspicuis & significantibus proposita sunt (distinguendum enim saltem inte. *evidentiam rerum*, & *claritatem verborum)* nihil, quò minùs *non renati*, si fortè in illam inciderint, eamq; cum attentione legerint, *aliquam* illorum notitiam sibi acquirere, seq; ab *ignorantia puræ negationis* quodammodo liberare possint, obstat.

63. Nec saltem hoc, sed & *qualemcunq; & historicum, miraculis* scilicet, *Ecclesiæ auctoritate, martyriis*, aliisq; argumentis externis fundatum, *assensum non renatis* tribuimus. Testantur id *hypocritæ*, quibusdam dogmatibus, non alio medio, quàm vel traditione, vel avito testimonio inducti, assensum præbentes. Ut autem dicto modo *aliqualem* rerum divinarum *notitiam, & assensum* nemini denegamus; ita hæc duo *à controversiæ cardine* procul abesse jubemus. *Externa* hæc sunt ad conversionem adminicula, quæ absente voluntatis pertinaciâ, homini convertendo ad sui conversionem *prævia* quædam *conditio* seu occasio, utpote quâ aliquod conversionis obstaculum, *ignorantia* illa mysteriorum divinorum in ipso removetur, esse, & sic conversionis subjectum, antè in *potentia* adhuc *remota* existens, in *proxima* constituere possunt. Non autem *hæc notitia, nec assensus ejusmodi intrinsecos conversionis* actus ingrediuntur, multò minùs *meriti* vel *congrui*, vel *condigni* rationem habent. Quare hæc omnia hactenus explicata cum *Strigelio* nequaquam in controversiam veniunt.

8. 64. Nec tandem 8 hic de *absentia motus* in *intellectu & voluntate*; hoc sensu: *Num conversio fiat* sine *motu mentis, & actione voluntatis?* quam erroris maculam sæpius nobis affricare laborat *Victorinus*, ad ravim usque ogganniens.: *Sp. S. non esse in homine efficacem, tanquam in trunco nihil agente, sed ita hominem trahere ac convertere, ut velit in eo esse aliquam voluntatis actionem*, quæ *suam efficaciam comitetur D. Vin. f. 12. p. 226.* & passim; quæritur. Ipsi enim nos ultrò largimur, neminem *sine mente* aliquid posse intelligere, cogitare,

judi-

judicare; *sine voluntate* desiderare, expetere: æquè uti nemo sine oculis videre, auribus audire poterit. Quod *August.* hisce docet: *Multa*, inquiens, *homines nolentes agunt; sed credere nisi volens nemo potest.* Quare in ipsâ conversione, ejusq; exordio *mens* cogitat, cogitando assentitur; *voluntas* desiderat, desiderando credit. Sed *quærimus*: *Quidnam* illuminet *intellectum*, ut divina intelligat? *quid voluntatem*, ut piè & sincerè credat. Hic Victorinus cum *gratiâ* conjungit *naturæ* vim vel *minimam*; nos autem *nullo modo naturæ*; sed totum *conversionis* negotium insolidum *gratiæ* acceptum ferimus.

65. Verus igitur *controversiæ status* hic est: *Utrum homo nondum renatus habeat in se* aliquas vires superstites, *quibus*, *licet divinâ gratiâ præveniente excitatus, citra specialem Spiritus sancti gratiam in motibus & actionibus* merè spiritualibus *vel minimum cooperari possit*? Seu, ut F. C. format: *Quid hominis* nondum renati *intellectus & voluntas in ipsâ conversione, & regeneratione ex propriis suis, & post lapsum* reliquis viribus *præstare possit: quando verbum DEI prædicatur, & DEI gratia nobis offertur?* vide Decl. p. 655. Ex quo, cùm *arbitrii nostri libertas*, quamvis in *voluntate* radicata, *intellectum* ut *conditionem* præsupponat, conf. sup. §. 31. seu ex parte *intellectus distinctam*, & *cum assensu* conjunctam bonorum *merè spiritualium notitiam* prærequirat: juxta F. C. filum *quæstio* præsens majoris lucis gratia in *duas*, quarum *prior cognitionem* objecti hîc requisitam; *posterior* ipsam *voluntatis libertatem* concernat, resolvi potest. Hinc quæritur 1. *Num homo convertendus ex suo* naturali *lumine objecta* merè spiritualia *distinctè & cum assensu cognoscere possit?* 2. *Num voluntas hominis convertendi circa bona* merè spiritualia *in particulari & distinctè cognita* indifferens *sit* quoad speciem actus: id est: *An sicut illa potest* ex se aversari, *ita eadem* ex se velle & *desiderare possit, sic quidem, ut in illa feratur, ut acquirenda?* Vel minimum: *An hosce actus, gratiam DEI desiderandi, in Christi merito remissionem quærendi*, &c. ex suis viribus *voluntas saltem inchoare, & conatu aliquo, quamvis* languido in eos possit tendere? *Affirmat Strigelius* cum tota Synergistarum turba; nos utrumque simpliciter *negamus*. 2. κατὰ θέσιν.

SECTIO

Cùm igitur proximè præcedentia duplicem *nobis* quæstionem *exhibuerint*, *ad* utramq; *seorsim nos* καθδυ/αμιν *responsuri*, *vestigia F.C. premendo primò de* mentis, *secundò* voluntatis ἀδυναμία *probanda solliciti erimus. Argumenta autem in* privativa, falsas conversionis *causas*, intellectum *scil.* & voluntatem *removentia*; positiva, veras *adducentia dispescemus, potiorum objectionum solutionem sect. 3. exhibituri*.

CAPUT I.

De falsarum causarum priori, mente scil. seu intellectu.

1. *Mentis* seu *intellectus* omnimodam in spiritualibus ἀδυναμίαν Scriptura nobis cùm *propriis*, tum *Metaphoricis* depingit testimoniis.

Testim. propr. I.Cor.II.14.

2. *Propria* inter palmam meritò, cui & decl. F.C. primas tribuit, obtinet locus I. Cor. II. 14. *Animalis homo* &c qui, quò firmius negativæ nostræ fulcrum, eò magis quantum ad *subjectum* & *prædicata* eviscerandus est.

3. Per ψυχικὸν ἄνθρωπον igitur Apostolus non *facultates animæ inferiores*, homini cum brutis communes, eo sensu, quo *spiritus* dicuntur *animales*, ut *Erasmus* voluit, intelligit: hanc enim interpretationem falsissimam refellit v. 6. ubi eos, quos hic sub *animali homine* complectitur, vocat *principes seculi*, id est doctrinâ, prudentia, aliisque animi dotibus præstantes, & διδακτοῖς λόγοις v. 13. seu sermonibus ab humana eruditione, & sapientiâ profectis benè instructos. Hos Paulus ψυχικοὺς ab anima appellat, quia hoc loco non ἄλογα ζῶα, seu *Epicuri de grege porcos*, sed eos, qui potissimam sui partem, animam scilicet excolunt, vult intellectos. *Oppositi-*

ſuorum autem *Canon* luculentiùs genuinum hujus vocis ſignificatum nobis exhibet. Opponitur hic ἄνθρωπος ψυχικὸς πνευματικῷ. Sicut igitur πνευματικὸς eum, qui Sp. S. regeneratus in ſpiritu vivit, ſpirituq́; opera carnis mortificat, denotat: ita ψυχικὸς eum, qui non tantùm ſenſu more brutorum regitur, ſed &, omnibus licèt humanæ ſapientiæ artibus expolitus, tamen Sp S. gratia deſtitutus, corruptæ naturæ obſequitur, animæ (depravatæ) ductu ſe regi patiens. A duce enim ſuo uterque; ψυχικὸς, quòd *animam*; πνευματικὸς, quòd Sp. S. ſequatur ducem, denominatur, exponente Juda v. 19. Per ψυχικὸν ἄνθρωπον igitur homo, qualis jam per lapſum factus, nil niſi corruptæ rationis ſuæ dictamen ſequens, teſte Chryſoſt: ψυχικός ἐστιν, ὁ τὸ πᾶν τοῖς λογισμοῖς τῆς ψυχῆς διδοὺς, καὶ μὴ νομίζων, ἄνωθέν τινος δεῖσθαι βοηθείας, intelligitur; ſive *homo nondum renatus, & quatenus vetuſtate laborat, ut ita intellectus, voluntas & affectus includantur*; quemadmodum *Pl. Rever. Ampliß. & Excell. D. D. Chriſtianus Chemnitius P. P. Paſt. & Superint. Promotor ac Præceptor meus æternùm plusquàm filialiter obſervandus in prælect. publ. in I. Cor. epiſtol.* docuit.

4. De hoc *homine animali* enunciat Apoſtolus, quòd myſteria fidei non poſſit 1. γνῶναι. 2. δέχεσθαι. Per τὸ γνῶναι innuit ſpiritualium *notitiam* & intelligentiam, non quidem eam, quam ſimplex verborum ſenſus gignit (hanc enim ob myſteria clarè propoſita, etiam *non-renato*, cum attentione Scripturam vel audienti, vel legenti largiti ſumus §. 55. & ſeqq.) ſed *ſalutarem*, ſeu ipſi converſioni *intrinſecam*, quâ intellectus humanus *ex ſe* & *ſuo lumine* quidquam de fidei articulis inveſtigare poſſit, hancq́; *non-renato* denegat gentium Doctor. *Deinde* negat de eodem τὸ δέχεσθαι, docens, hominem ψυχικὸν, utut fortè antiquitate, martyriis, traditione &c. inductus *aliqualem* S. Scr. de fidei articulis diſſerenti aſſenſum præbeat (conf. §. 6. ſupr.) *fidelem* tamen aſſenſum inde *ex ſe* concipere non poſſe. Quem vocis hujus ſignificatum & alia inſinuant loca, uti Act. VIII. 14. c. XVII. 11. & I. Theſſ. II. 13. ubi inter τὸ παραλαμβάνειν, & δέχεσθαι τὸν λόγον, ita, ut illud auditum *externum*, ſeu perceptionem viribus naturæ pergendam; hoc *internum* ſeu fiducialem aſſenſum importet, diſtingui, Interpp. obſervant. Conf. D. *Calixt. comm. in h. l.*

5. Per remotionem igitur τῦ γνῶναι & τῦ δέχεσθαι hoc Apostolus dicit; hominem ψυχικὸν ad *salutarem* articulorum fidei cognitionem, non in *aliquali* notitia vel assensu; sed in *cognitione gratiæ* divinæ, gratuitæ remissionis peccatorum, *cum certo* & immoto *assensu* conjunctâ consistentem; quâ quis non modò *in genere* novit, Deum esse, esse misericordem, &c. sed & in *specie* credit, *se* habere Deum misericordem, *sibi* remitti peccata, ad hanc, inquam, cognitionem ψυχικὸν nequaquam ex se pertingere posse. Quod & Paulina ἀπόφασις, quæ καθόλε est, omnemq; planè salutarem cognitionem, rerumq; divinarum perceptionem *homini animali* derogat, testatur. *Non enim dicit Apostolus*, ἀναδέχεται, ἀποδέχεται, &c. *quo plenam perceptionem designare videri posset*; sed *simpliciter*: ἐ δέχεται; *non est ideo eum* δοχεῖον *& receptaculum* Sp. *& rerum spiritualium*, notante B. *Gerhardo in Disp. Isag. 28. p. m. 971.* Confer *Decl. F. C. p. 658.*

9. Rationem hujus asserti sui Apostolus c. l. subnectit *geminam*, *alteram* petitam *à naturæ nostræ cæcitate*, cui mysteria μωρία sunt, stultitia, ineptiæ. Ita enim ob fidei objectorum inevidentiam, quippe quæ sunt ἀπὸ τῶν αἰώνων ἀποκεκρυμμένα, Eph. III. 9. Coloss. I 26. σεσιγημένα Rom. XVI. 25. nulli nec visa, nec audita I. Cor. II. 9. cum ratione nostra comparatum est, ut si hæc illa in se, omnibus persuasoriis remotis, consideret, vel suum de illis judicium suspendat, vel ea ad terrenorum conditionem examinet, turpiq; ob principia non οἰκεῖα, sed ἀλλότρια se μεταβάσεως vitio implicet. Atque sic aut in *ignorantiam pravæ dispositionis* incidit, aut mysteria ceu παράδοξα, vel, ut cum Paulo loquamur, μωρίαν reputat, tantùm ideò, quòd ad illa, ceu hactenus sibi inaudita ascendere nesciat; ut hujus rei *Photinianorum* controversiæ superflua præbent documenta.

7. Hinc spontè emergit *altera* ratio Apostolica à *mysteriorum sublimitate* deprompta, quæ ea est, ut judicem *non carnalem*, opinionibusq; mundanis & Philosophicis immersum, sed *spiritualem*, sive Sp. S. in verbo suo dictantem & judicantem admittat. Ea enim, quæ *Spiritûs* sunt, πνευματικῶς dijudicantur: homo autem *animalis* ex se non nisi naturali pollet judicio, quo si res spiritualis venit determinanda, sapientia Dei pro stultitia est habenda, adeoq; omne judicium sanum hîc menti denegandum.

8. Huic

8. Huic Paulino testimonio subnectimus aliud, ei planè homogeneum, locum sc. I. Cor. I. 21. *in Dei sapientia.* &c. *In* id est *per* (τὸ ἐν Græcorum enim sæpiùs pro διὰ positum, exprimere Hebr. ב, docet *Wissius dialect. sacr. p. 323.*) *sapientiam Dei* (illam sapientiam, quæ colligitur & hauritur ex rebus creatis, operibusq; Dei sub sensum cadentibus, quibus ipse sapientiæ & potentiæ satis manifesta impressit indicia. Rom. I. 18. Opificium enim cœli & terræ, in quo πολυποίκιλος illa Dei sapientia elucet: Ephes. III. 10. per Metalepsin *sapientiam Dei* salutat Apostolus) *mundus* (omnes quotquot extra revelationem Christum cognoscere studuerunt) *non cognovit Deum per istam sapientiã* seu notitias naturales. Conf. *Bald. comm. in h. l.* Utut autem notitiæ naturalis adminiculo *aliqualem* quidem Dei *notitiam* sibi gentiles acquirere, inq; hac excolendâ, omni scientiâ suâ Philosophicâ laborare potuissent & debuissent; Rom. I. 19. seq. Actor. XVII. 27. hautquaquam tamen hæc ad salutem sufficere potuit. I. Cor. I. 21.

9. Idem & illud II. Cor. III. 5. *Non sufficientes* sumus &c. verbis non calamo, sed radiis solaribus scriptis ad oculum demonstrat. II. Cor. III. 5. Si enim ne quidem *cogitare* boni quid ex propriis viribus possumus; multo minùs mysteriis pleno & *salutari* assensu subscribere ex nobis poterimus. Ait igitur Apostolus, quòd nullo modo apti, vel idonei simus ad boni quid, non modò efficiendum, vel dicendum, sed *cogitandum* saltem: omnem verô ἱκανότητα ἡμῶν ex Deo esse. Et quamvis fortè quis nobis obvertat, l. c. de Paulo & Sosthene, atq; adeò de *Apostolis, eorumq; officio* principaliter agere, indeq; non eo, quo nos, sensu accipiendum esse (de quo vid. *Frantzius* Interp. Scr. Sacr. orac. 77.) dẽ tamen *per analogicam accommodationem* ad humani arbitrii vires, in divinis extenuandas applicari potest. Est enim generalis, omnibus omninò hominibus competens sententia, sub qua Paulus virium suarum imbecillitatem in ministerii officio administrando, ac ineptitudinem operandi subsumit.

10. Nec quidquam præsidii in voce λογίσασθαι, non de *cogitationibus*, sed *ratiocinationibus* acceptâ h. l. quòd homo nil boni quidem ex se concludere & decernere, interim tamen de bono cogitare, & ita suis è libertate virium natis cogitationibus, Deo occurrere possit; inveniunt *Synergistæ*. Esto enim aliquando vocis

 hujus

hujus is significatus; hoc loco tamen præcisè idem non spectatur. Paulus etenim aptitudinem omnem prorsus à se removet, eamque soli Deo adscribit; nec tantùm discursum, & conclusiones rationis; sed & *conceptus* & *cogitata mentis* sibi derogat, τῷ λογίσασθαι simplices cogitationes denotante, Conf. I. Cor. XIII. 5. Cui adstipulatur Anshelmus; dum ista: *Quis non videt*, inquit, *prius esse cogitare, quàm credere* &c. *Si ergò non sufficimus cogitare aliquid boni, profectò nec credere sufficimus.* vid. *Bald. comm. in h. l.*

Matt. XIII. 13. 11. Huc & alia faciunt, ut Matth. XIII. 13. 14. *Videntes non vident* &c. *videntes* (parabolæ verba primâ vice audientes, sed nihil pro intimo parabolarum sensu impetrando inquirentes, aut petentes) *non vident*, & *audientes*, (externas syllabas, & tamen in nucleo explicationum eruendo ignavi) *non audiunt*, & (quia initium tantùm perceperunt, nec consequendi necessaria interpretamenta expectarunt) *non intelligunt*. En ἀδυναμίας intellectûs nostri testimonium! Quod corroborant & loca. Joh. VIII. 37. *Sermo meus* ὐ χωρεῖ non reperit locum, non subit animos vestros (χωρεῖν autem h. l. accipitur *neutraliter* & *intransitivè* pro *locum habere*,) idque ideò, quòd animi eorum pravis fascinati opinionibus nil nisi mundana anhelabant. Adde & Johan. VI. 63. *Caro* (homo *quantus quantus est*, animalem vivens vitam) *non prodest quidquam*; &c.

Metaph. 12. Metaphorica porrò, quorum sup. §. 1. mentionem injecimus, ἀδυναμίας nostræ testimonia nequaquam desunt; sed extat insignis ejusdem imago & pictura Eph. IV. 17. 18. *Ambulant gentes*, &c. ἐσκοτισμένοι τῇ διανοίᾳ *obtenebrati mente.* Hîc ab ipsis actionum humanarum principiis Paulus gentilium, adeoque omnium nostrûm corruptas deducit vires, effectum causâ suâ nunquã esse nobiliorem optimè sciens. *Mentem* s. intellectum, primum illud principium *vanitati* subjectum asserit; *διάνοιαν ratiocinationem* & discursum, cujus beneficio unum ex altero colligitur, planè *obtenebratum* pronunciat. Idque partim, quòd homines, quæ possent, videre nolunt; partim quod salvificam mysteriorum veritatem in Evangelio declaratam, splendidissimæque luci comparatam haud secus, ac cœci, nullatenus cernant, indeque perpetuô cum vanitate & cœcitate conflictentur.

Eph. IV. 17. 18. 19.

Eph. V. 8. 13. Quod ut magis exprimat non ampliùs in *concreto*, sed *ab-*

stracto.

ſtracto loqui amat Apoſtolus Eph. V. 8. appellans gentes σκότος *tenebras ipſas*, id eſt, *ſummè obtenebratas*, omniq; ſpirituali intellectûs lumine deſtitutas, verbis ſanè ἐμφατικωτέροις. Iſthæc enim *abſtracti* uſurpatio facit, ut in *ſuperlativo gradu adjectivum*, quod per abſtractivam vocem effertur, exponi poſſit, debeatq; : ſicut de Eva dicitur, quòd viderit arborem vetitam תַאֲוָה *deſiderium*, id eſt, *deſideratiſſimam* Gen. III. 6. quo de conſulatur *B. Glaſſ. Phil. ſacr. l. 3. tr. 1. c. 7.* ita & hîc idem dicit Paulus, nos edocturus, quòd, quanti quanti ſumus, in divinis nil niſi tenebræ ſimus, habentes intellectum, divinorum planiſſimè ignarum, nilq; niſi tenebrarum opera ſapientem. Quantum igitur tenebræ v. g. *nocturnæ* ad ſolis, hemiſphærium noſtrum repetentis, illuminationem conferunt: tantum etiam intellectus noſter ad rerum ſpiritualium notitiam & cognitionem.

14. Quo, ceu appoſito ſimili, Sp. S. aliàs uti libuit, ut Joh. I. 5. *Lux lucet in tenebris* &c. *Lux* (hominum ſcil. v. 4. oriens ex alto Luc. I. 78. Meſſias nimir.) *lucet* (tum ἀμέσως, ipſe doctrinam Evangelii nobis revelans Joh. I. 18. tum ἐμμέσως, Apoſtolos ſuos ad prædicandum ablegans Marc. XVI. 15.) *in tenebris* (inter homines) *& tenebræ* (homines, per lapſum ita corrupti & obtenebrati, ut lucem illuceſcentem ex ſe capere non poſſint) *non apprehenderunt*, (apprehendere non potuerunt.) Verba enim actus *ſecundi*, quandoq; pro actu *primo* poni; ſeu verba *actionis* ſæpiùs agendi *poteſtatem* notare, ut Matth. VII. 16. συλλέγουσιν *colligunt*, pro *colligere poterunt*, & Gen. XVI. 10. וְלֹא יִסָּפֵר & non *numerabitur* pro *numerari poterit*; docet modo laudatus *B. Glaſſ. c. l. tr. 3. c. 5.* Joh. I. 5.

15. Sic igitur hæc *tropica* teſtimonia eadem cum *propriis* probandæ ſententiæ noſtræ pondera ſuppeditare, conſtat. Quibus quidem & alia, ut præſertim Eph. II. 1. de *morte*, hic afferri ſolitum, addere poſſemus; niſi id, ſalvo tamen aliorum judicio, commodiùs infrà ad voluntatem, *intellectu* tamen *non excluſo*, accommodari poſſe exiſtimaremus. Cujus ratio eſt, quòd *vita*, cui *mors* h. l. opponitur, in *actionibus* ſpiritualibus conſiſtat, & non tantùm in *intellectus* illuminati bonis *cogitationibus*, ſed potiſſimum in *voluntatis* & affectuum rectitudine, indeq; natis *operationibus*. Unde conſultò hunc, aliaq; loca hîc prætterimus.

hujus is significatus; hoc loco tamen præcise idem non spectatur. Paulus etenim aptitudinem omnem prorsus à se removet, eamque soli Deo adscribit; nec tantùm discursum, & conclusiones rationis; sed & *conceptus* & *cogitata mentis* sibi derogat, τῷ λογίσασθαι simplices cogitationes denotante, Conf. I. Cor. XIII. 5. Cui adstipulatur Anshelmus; dum ista: *Quis non videt*, inquit, *prius esse cogitare, quàm credere &c. Si ergò non sufficimus cogitare aliquid boni, profectò nec credere sufficimus.* vid. *Bald. comm. in h. l.*

Matt. XIII. 13. 11. Huc & alia faciunt, ut Matth. XIII. 13. 14. *Videntes non vident* &c. *videntes* (parabolæ verba primâ vice audientes, sed nihil pro intimo parabolarum sensu impetrando inquirentes, aut petentes) *non vident*, & *audientes*, (externas syllabas, & tamen in nucleo explicationum eruendo ignavi) *non audiunt*, & (quia initium tantùm perceperunt, nec consequendi necessaria interpretamenta expectarunt) *non intelligunt*. En ἀδυναμίας intellectûs nostri testimonium! Quod corroborant & loca. Joh. VIII. 37. *Sermo meus* ὀ χωρεῖ non reperit locum, non subit animos vestros (χωρεῖν autem h. l. accipitur *neutraliter* & *intransitivè* pro *locum habere*,) idque ideò, quòd animi eorum pravis fascinati opinionibus nil nisi mundana anhelabant. Adde & Johan. VI. 63. *Caro* (homo *quantus quantus est*, animalem vivens vitam) *non prodest quidquam*; &c.

Metaph. 12. Metaphorica porrò, quorum sup. §. 1. mentionem injecimus, ἀδυναμίας nostræ testimonia nequaquam desunt; sed extat insignis ejusdem imago & pictura Eph. IV. 17. 18. *Ambulant gentes*, &c. ἐσκοτισμένοι τῇ διανοίᾳ *obtenebrati mente.* Hîc ab ipsis actionum humanarum principiis Paulus gentilium, adeoque omnium nostrûm corruptas deducit vires, effectum causâ sua nunquã esse nobiliorem optimè sciens. *Mentem* s. intellectum, primum illud principium *vanitati* subjectum asserit; διάνοιαν *ratiocinationem* & discursum, cujus beneficio unum ex altero colligitur, planè *obtenebratum* pronunciat. Idque partim, quòd homines, quæ possent, videre nolunt; partim quod salvificam mysteriorum veritatem in Evangelio declaratam, splendidissimæque luci comparatam haud secus, ac cæci, nullatenus cernant, indeque perpetuô cum vanitate & cæcitate conflictentur.

Eph. IV. 17. 18. 19.

Eph. V. 8. 13. Quod ut magis exprimat non ampliùs in *concreto*, sed *ab-*

stracto.

stracto loqui amat Apostolus Eph. V. 8. appellans gentes σκότος *tenebras ipsas*, id est, *summè obtenebratas*, omniq; spirituali intellectûs lumine destitutas, verbis sanè ἐμφατικωτέροις. Isthæc enim *abstracti* usurpatio facit, ut in *superlativo gradu adjectivum*, quod per abstractivam vocem effertur, exponi possit, debeatq; : sicut de Eva dicitur, quòd viderit arborem vetitam תַאֲוָה *desiderium*, id est, *desideratissimam* Gen. III. 6. quo de consulatur *B. Glass. Phil. sacr. l. 3. tr. 1. c. 7.* ita & hîc idem dicit Paulus, nos edocturus, quòd, quanti quanti sumus, in divinis nil nisi tenebræ simus, habentes intellectum, divinorum planissimè ignarum, nilq; nisi tenebrarum opera sapientem. Quantum igitur tenebræ v. g. *nocturnæ* ad solis, hemisphærium nostrum repetentis, illuminationem conferunt: tantum etiam intellectus noster ad rerum spiritualium notitiam & cognitionem.

14. Quo, ceu apposito simili, Sp. S. aliàs uti libuit, ut Joh. I. 5. *Lux lucet in tenebris* &c. *Lux* (hominum scil. v. 4. oriens ex alto Luc. I. 78. Messias nimir.) *lucet* (tum ἀμέσως, ipse doctrinam Evangelii nobis revelans Joh. I. 18. tum ἐμμέσως, Apostolos suos ad prædicandum ablegans Marc. XVI. 15.) *in tenebris* (inter homines) *& tenebræ* (homines, per lapsum ita corrupti & obtenebrati, ut lucem illucescentem ex se capere non possint) *non apprehenderunt*, (apprehendere non potuerunt.) Verba enim actûs *secundi*, quandoq; pro actu *primo* poni; seu verba *actionis* sæpiùs agendi *potestatem* notare, ut: Matth. VII. 16. συλλέγουσιν *colligunt*, pro *colligere poterunt*, & Gen. XVI. 10. וְלֹא יִסָּפֵר & non *numerabitur* pro *numerari poterit*; docet modo laudatus *B. Glass. c. l. tr. 3. c. 5.* Joh. I. 5.

15. Sic igitur hæc *tropica* testimonia eadem cum *propriis* probandæ sententiæ nostræ pondera suppeditare, constat. Quibus quidem & alia, ut præsertim Eph. II. 1. de *morte*, hic afferri solitum, addere possemus; nisi id, salvo tamen aliorum judicio, commodiùs infrà ad voluntatem, *intellectu* tamen *non excluso*, accommodari posse existimaremus. Cujus ratio est, quòd *vita*, cui *mors* h. l. opponitur, in *actionibus* spiritualibus consistat, & non tantùm in *intellectus* illuminati bonis *cogitationibus*, sed potissimum in *voluntatis* & affectuum rectitudine, indeq; natis *operationibus*. Unde consultò hunc, aliaq; loca hîc præterimus.

 Ve-

Strig. excepcio speciosa 15. Verùm hìc non leve dubium nascitur, sc. *An non omnia hactenus de cœcitate intellectus adducta, saltem de intellectu, omni medio supernaturali* destituto *valeant*; *non autem de intellectu, doctrinâ fidei* vel *auditâ*, vel *lectâ aliquatenus* imbuto? Seu: *Annon intellectus non quidem* ante, sed post *doctrinam fidei sufficienter in verbo propositam & perceptam, eam ex se apprehendere, & ex suis viribus citra Sp. S. gratiam immotum veræ fidei assensum præbere possit?* Affirmat *Strigelius*, sæpius iterans hæc: *Non tribuo vim assentiendi naturali L. A. sine Sp. S. sed semper dixi, quando Sp. S. illuminat mentem, & quando voluntatem, & cor trabit, hoc me non posse tribuere purè voluntati* (idem statuit & de intellectu) sed motæ *à Sp. S. Disp. Vin. sess. 10. p. 190.* & passim. Vult igitur *Strigelius*, intellectum ejus, qui nunquam v. g. vel *de SS. Trinitatis*, vel *incarnationis*, &c. mysteriis quid audiverit, ad eorum salutarem notitiam, firmumq; assensum (*notanter* dico: *salutarem* & *firmum*; *aliqualem* enim notitiam & assensum non renato supr. s. §. 1. 55. & seq. largitus sum) solo naturali lumine pervenire non posse: sed *præsupposita S. Scr.* ceu medio, quam & irregenitus legere & audire possit, ex *naturalibus viribus* mysteria intelligere, & cum assensu bono, quamvis *languido* (nur mit einem Jawort) de iis cogitare posse, adeoque fidem *sine speciali* Sp. S. *operatione* concipere. Conf. *Schlüss. cat. hær. l. 5. p. m. 529.* & *Mansfeld.* Confess. *p. 267. seqq.*

Videtur probabilis 1. naturâ. 26. Cui opinioni suæ lumen aliquod affundere posse videtur *Victorinus* cùm ex *natura*, tum *Scriptura*. Ex *illa* hunc in modum: *Intellectus* sanè noster ita se habet, ut artibus non imbutus in rebus, subtili mentis indagine investigandis cœcus sit & vespertilionum oculis non absimilis, juxta *Philosophum*; idem autem intellectus, præceptorum sive vivorum, sive mortuorum operâ, quâ obscura declarantur, adjutus, *suis viribus* sine speciali Sp. S. operatione res abstrusissimas penetrare, easque si veræ sint, credere valeat. Eandem ex parte & hoc in negotio *intellectûs* esse rationem *Strigelius* arbitratur.

2. Scripturâ 17. Ex *hac*, *Scr. S. Strigelianæ* opinioni color appingi posse videtur inde, quòd Apostolus Eph. I. 17. 18. *illuminationem* describat per *ἀποκάλυψιν revelationem* in agnitione Dei, seu *manifestationem*, ut Deus magis cognosci possit: πεφωτισμένυς τὺς ὀφθαλμὺς τῆς δια-

volas

νοίας εἰς τὸ εἰδέναι &c. per hoc, quòd intellectui ſpes vocationis ſit *revelata*, quo homo eam intelligere & conſiderare poſſit. Ut ita juxta h. ſ. *illuminatio* verbi divini *non in alio* conſiſtat, quàm in *ſignificatione* & *repræſentatione* objecti, ſeu *clariùs*: in eo, quòd, quæ homini credenda & agenda proponuntur, intellectui *in ſe* ſpectato aliàs non percepta, nec perceptibilia, Deus intellectui per S. Scr. repræſentet. Quæ *illuminatio* igitur reſpectu *verbi Dei*, ſeu Dei, per verbum in nobis operantis conſiderata, nuda tantùm credendorum & agendorum ſit *repræſentatio* & *ſignificatio*; reſpectu verò *intellecti* recipientis ſit eorundem *perceptio*, & ex Scripturæ verbis hauſt *cognitio*. Cui *revelationi* ſeu *repræſentationi* autem verbum Dei *per hoc ſolum*, quod æquè ac alia quævis doctrina, vocibus ſuis ſignificantibus conſtans, intellectui objectum ſuum repræſentare, eique conceptus, objecto conformes ingerere poſſit, ſufficit. Quæ hactenus dicta in argumentum redacta, huc redibunt: *Illuminatio verbi conſiſtit in eo, quod verbo divino cum quovis verbo ſignificante eſt commune. E. ea non requirit ſpecialem Sp. S. operationem*, ſed ſolus intellectus hic, ut in aliis ſufficit. *Major* ceu indubia, ut tranſeat, *Minor* robur ſuum nacta videtur ex c. l. Pauli. Qui cum facere videntur & alia, ut quòd verbum Dei ſæpiùs conferatur cum *lumine* & *lucerna* Pſal. CXIX. 105. II. Cor. IV. 4. II. Pet. I. 19. item cum *ſpeculo* Jac. I. 33. *hoc ſenſu* ſc. quòd in iis, quæ credenda & agenda proponuntur, tam perſpicuum ſit, ut à quolibet intelligi poſſit; ſitq; ita homini inſtar *luminis*, quo ejus intellectus, aliàs plus quàm Cimmeriis immerſus tenebris, nunc colluſtratus *ex ſe* credenda & agenda percipere valeat, *nullaq;* ad hoc *ſupernaturali* Spiritus Sancti actione indigeat.

18. Hoc ſpecioſum quidem *Strigelii* dubium ut ſolvamus, reſpondemus ad *prius*, ab intellectus *natura* petitum, *negando conſequentiam* ob diſparem rationem. Verum quidem eſt, quòd *res ſubtiles naturales*, perſpicuè propoſitas abſque ſpeciali Spir. S. operatione ſuis viribus, quamvis ſæpe non ſine labore, intellectus percipere, firmumq; iis aſſenſum, lumine naturæ ſcilicet rationes aſſentiendi ſuggerente, addere valeat: at *ſpiritualia* longè ſe habent aliter. Hæc enim dijudicantur *πνευματικῶς*, id eſt; ſe non rationis, cui propoſita *ſtultitia ſunt*, decempedâ menſurari patiuntur; ſed

Reſp. 1. à natura.

vi

vi & afflatu solius Spiritus sancti intelliguntur. Confer supra h. s. §. 6. & 7.

Inst. 1. 19. *Dicis*: intellectus est potentia necessaria, & ita ad unum determinata, ut vero per clarum verbum proposito, & cognito non possit non *ex se* assentiri. E. adhuc intellectus ad mysteriorum perceptionem *speciali* Sp. S. *operatione* non indiget; sed verbo informatus, seu (ut *Strigelius* loquitur) *antè excitatus ex se* illa intelligit. *Majore*, quæ certa, missâ; *Minor*, quæ dicit *duo*: 1. *intellectum esse potentiam necessariam*. 2. *Per clarum & perspicuum verbum ei objectum suum proponi*, quoad *utrumq;* probatur. *Prius*: intellectus ad intellectionem per se, & simpliciter nil aliud requirit, quàm objecti per speciem intelligibilem repræsentationem, cui repræsentato conformes conceptus statim *ex se* formare novit. *Posterius*: Verba Scripturæ significant ex instituto, ac sensu & significatu, quem in communi loquendi usu obtinent, adhibentur, adeoq; clara & perspicua sunt (quod aliàs contra *Pontif.* disputamus, atq; tetigimus supra sect. 1. §. 59. & seqq.) *per se* igitur, *præciso* omni *speciali* Spir. S. *concursu*, ad objectum potentiæ cognoscendi repræsentandum apta nata sunt. Unde adhuc manet conclusio.

Solv. 1. 20. Verùm ut huic obviam eamus, Resp. ad *Minorem*, ejusq; 1. *membrum prius distinguendo*: *intellectum esse potentiam necessariam* accipi potest *dupliciter*; *vel* de *exercitio*, *seu actu intelligendi*, & sic *conceditur*: positis enim omnibus ad intelligendum requisitis non potest non intelligere; haud secus ac *potentia visiva* positis iisdem necessariò videt. Vel de *specificatione*, seu *actu assentiendi*, *vel dissentiendi*; & sic *negamus* quantum ad hoc *minorem*. *Rationem* diversitatis damus hanc: ad *exercitium* seu *actum* intellectûs sufficit objectum cognoscibile propositum, & apprehensum; ad *specificationem* autem intellectûs *præter* objecti apprehensionem, requiritur etiam *cognitionis evidentia*. Cognitioni enim *inevidenti*, probabili, & obscuræ intellectus non assentitur; sed vel assensum suspendit, vel assentitur *cum formidine oppositi* (ut loquuntur) *seu* ita, ut certiorem cognitionem in alteram partem nactus, *priori* assensu misso, *contrariæ* cognitioni assentiatur. Et hoc modo intellectus non *potentia* necessaria, sed *libera* est.

21. Hinc

21. Hinc 2. Resp. ad membr. *posterius:* Quodlibet verbum clarum *ex se*, suaq; naturali indole intellectui objectum repræsentare, adeoq; eum ad *exercitium* seu *actum intelligendi* determinare potest: at verbum, *quatenus tale*, objecti cognitionem *evidentem* gignere, & intellectum ad *specificationem* seu *assensum* statim inducere non potest. Potest enim verbum *clarum* & *perspicuum* dari de re *non evidente*, quæ *certò* quidem, *evidenter* tamen à nobis non cognoscitur. Est autem *evidenter rem cognoscere* nihil aliud, quàm cùm intellectus eam tam clarè & distinctè cognoscit, atque oculus sanus lucem ipsam, aut rem in clarâ luce collocatam intuetur; ut: *idem non posse simul esse, & non esse; ignem urere* &c. Jam quidem in demonstrativa cognitione *naturali certitudo & evidentia* indivulso nexu sunt conjuncta; in cognitione autem *supernaturali* maxima *certitudo sine evidentia* reperitur. Unde fit, ut *clarum* & perspicuum *verbum* sit *de re non evidente*, quæ à nobis quidem cognoscitur, sed *non evidenter*; idq; in omnibus fidei mysteriis evenit. *Exempli loco* esto articulus *de incarnatione Christi:* Christum, ut hominem, esse *ἀπάτορα*, *certissimè* & *infallibiliter* cognosco; quidquid enim Deus revelat, id fallere non potest: *evidentiam* tamen ejus non habeo. Nam rem sic, & non aliter se habere statuo, *non* ex *rei* ipsius *natura* cognitionem hauriens (hanc enim consulens, nequaquam hominem sine patre nasci posse percipio) sed *auctoritati* dicentis *Dei*, fallere nescii, innixus id credo: nec ideò ei assentior, quòd ipse rem hanc talem esse videam; sed quòd is asserat, quem verum dicere judico. Hinc S. Scr. hanc *fidem divinam* ἔλεγχον ὐ βλεπομένων Hebr. XI. 1. & cognitionem *ænigmaticam* I. Corinth. XIII. 12. appellat.

22. Hæc jam manifestant, qui fiat, ut verbum Dei, *alias* quantum ad fidei articulos *clarum* & perspicuum, in se & naturâ suâ *ad objectum spirituale* intellectui *repræsentandum* aptum sit; quò autem objectum istud repræsentatum intellectus *evidenter cognoscat*, ac sine Sp. S gratiâ ei assentiatur, hoc idem Dei verbum, *ut verbum auribus* & *oculis perceptibile*, nullatenus efficere possit? Quia scil. *ad* cognitionis *evidentiam*, indeque suppullulantem assensum plus, quàm ad objecti *repræsentationem* requiritur; *ad hanc* orationis perspicuitas sufficit; *ad illam* præterea clara & distincta objecti cogni-

tio exigitur. Cùm igitur mysteria fidei, claris licèt proposita verbis, intellectui hominis non-renati, non sint obvia I. Cor. II. 14. sed obvelata, II. Corinth. III. 14. 15. nullam pariunt evidentiam. Unde cùm dicitur: *mysteria* fidei à nobis *non cognosci evidenter*; non *sensus* est, Scr. in fidei dogmatibus esse obscuram: sed fidei dogmata sublimitate suâ intellectum nostrum transcendere, ut hic illa clarè & distinctè cognoscere nequeat.

23. Quare verbum Dei *duplici* quantùm ad hoc pollet *effectu*; *altero* ipsi cum alio verbo quocunq; *communi*, qui est intellectui rem sistere, ejusq; notitiam inducere, & solâ verbi *perspicuitate* causatur: *altero proprio*, qui est intellectum ad assensum determinare, quiq; aliàs in cognitione *evidenti ab objecto*; in *rebus fidei* autem, ubi evidentia exulat, à *Sp. S. supernaturali*, *verbo* tamen *conjunctâ* (ne *Enthusiasmum* sapere videamur) operatione dependet.

Inst. 2. 24. *Dicis* 2. Mysteriorum *inevidentia* est causa ejus, quòd *irregeniti*, licèt verbum audientes, non credant. E. *evidentia* est causa ejus, quòd *renati* credant. Sed hoc absurdum; quia & hîc illa inevidentia manet: sequitur E. aut *renatos planè non* credere, aut mysteriorum *inevidentiam non esse causam* incredulitatis *non renatorum*.
Solu. Resp. 1. Hoc sequitur: aut renatos planè non credere; aut *non credere propter evidentiam*, quod posterius admittimus. *Nec inferes*: E. nec de irregenitis dicendum, quod non credant ob inevidentiam; cùm *contrariorum contraria sit consequentia*. Resp. enim 2. *Majorem* hanc: *Quodcunq; est causa ejus, quòd irregeniti non credant, ejus contrarium est causa, quòd renati credant*; non procedere, quippe quæ *fallac: causæ* laborat. Nec *obstat Canon: contrariorum*, &c. qui hîc non magis, ac in illo: *Quodcunq; est causa, quòd non renati damnentur; ejus contrarium est causa quòd renati salventur*; valet: utrobique enim ob contrariorum disparitatem N. V. C. ut *Cl. D. M. Tonsor Gym. Stad. Rect. & Prae. fidelissimus* olim me in *prax. Top.* instituit. Non igitur 3. tollimus *inevidentiam* resp. intellectus *renati* (hoc sensu, ut sicut *non-renatus* non credit ob *inevidentiam*; ob *evidentiam*, mysteriis illuminatione Sp. S. superadditam, *renatus* credat) quam & penes hunc residuam testantur loca Hebr. XI. 1. 1. Cor. XIII. 12. ac ipsa fidei natura importat; quippe quæ per hoc, quòd *inevidentia* credit, fides est: sed asserimus, *renatum* credere ob

Sp. S.

Sp. S. ita intellectum, ut, quantum ad fidem sufficit, credenda intelligat, illuminantis *specialem operationem*. Quamobrem & *Deus* dicitur *dare cor intelligens* Deut. XXIX. 4. & Paulus *Thessalonicensium* fidem unicè gratiæ divinæ I. Thess. II. 13. attribuit.

25. Et hæc ad *prius*, ex *natura* pro *Strigelio* motum dubium sufficiant, quæ, quid responsionis ad *ad alterum* ex *Scriptura* §. 17. petitum, sit reponendum, sponte subindicant. Hîc autem negamus *Minorem*, ejusq; *probationem*, hoc sc., *illuminationem ex parte Dei* nos *illuminantis* esse *nudam* credendorum & agendorum *repræsentationem*; & ex parte *intellectus recipientis* esse *nudam perceptionem*. Vera enim Dei illuminatio, & quidem ex *parte intellectûs* plus requirit, nec *qualicunq;*, sed *salutari* exhauritur cognitione: hæc autem ea est, quæ *præter* credendorum *notitiam* etiam *assensum* non *qualemcunq;* & *historicum*, quo quis in *genere* credit, vera esse verbi divini oracula; sed *fiducialem*, quo quis Evangelicis promissionibus nixus, sibi in *individuo* Deum propitium promittit, exigit. *Resp. ad 2. ex Scriptura: primò*

26. Jam igitur quæritur: *Num ejusmodi ex parte intellectûs spectata illuminatio, seu salutaris cognitio, ex parte Dei, verbo illuminantis nudâ credendorum repræsentatione absolvatur?* *Affirmavit* objectio §. 17. nos *negamus*: ad quam *negativam* nostram distinctiùs stabiliendam, de *notitia* & *assensu*, ut duobus essentialibus *illuminationis* hujus requisitis, distinctè acturi sumus. *Nuda repræsentatio non absolvit illuminationem, ob hic requisitam*

27. Esto igitur I. de *notitia* hæc assertio: *Ut notitia homini sit salutaris, non sufficit nuda credendorum repræsentatio, seu facta à verbo Dei, prout vocibus significantibus constat, manifestatio.* *Probatur* autem 1. ex Ephes. I. 16. 17. 18. *Non desino gratias agere, in precibus meis, ut Deus Domini nostri Jesu det vobis* &c. & I. Corinth. I. 4. ex quibus ita *colligimus*. Notitiam salutarem in sua gratiarum actione *Deo*, præteritâ mentione verbi, *in solidum* acceptam refert Apostolus. E. ejus peculiaris est effectus, non à verbo, *per se* & absolutè, sed *speciali Dei dono* dependens. *Item*: Pro notitia salutari, *post verbum prædicatum* adhuc Ephesiis donandâ, Deum Apostolus precatur. E. illa non simpliciter à verbo, sed à *Dei peculiari operatione* provenit. *Sequela* patet: quia aliàs ineptè Paulus *post verbum prædicatum* pro notitia impetranda rogaret, si ea nudâ verbi repræsentatione gigneretur. 2. ex II. Corinth. III. 15. 16. *Ad hunc* *1. Notitiam.*

ad diem cùm legitur Moses, tamen *velamen* &c. quæ *metaphoricè*, idq; ex Apostoli mente, explicata de Judæorum excœcatione, atq; in scriptis Mosaicis ritè intelligendis ἀγνωσία loquuntur h. l. Ut Mosaicæ faciei splendorem Israëlitæ, ob impositum *velamen* non viderunt: Sic Judæi spiritualem Mosis splendorem, id est, ejus legis summum finem, atque scopum, Christum scil. ad huc dum non intelligunt ob *mentis cæcitatem*, quæ *instar velaminis* est, inter corda eorum, & verum legis intellectum quasi obducti: quod non nisi per veram ad Deum conversionem tolli potest. Unde ita *argumentamur*: Judæi Mosen legentes, adhuc *velamen* seu cœcitatem retinent. E. nuda lectio Mosis, seu verbi repræsentatio notitiam salutarem non gignit. *Item*: Dominus, seu Sp. S est unica hujus velaminis, etiam *præsente verbo*, causa removens v. 16. E. non nuda verbi repræsentatio id præstat: sed necessariò Sp. S., cum verbo in intellectum agentis, hancq; notitiam *supernaturaliter* infundentis operatio requiritur. Id quod & loc. Matth XIII. 11. abundè testatur.

Notitia dist. 28. Pro cujus porrò meliori dilucidatione *distinguimus* hic: inter *notitiam* credendorum *qualemcunq*; & *certitudinem notitiæ*:

1. *illam*, quæ *qualicunq*; objecti apprehensione absolvitur, posse etiam in *non-renati* intellectum *sine supernaturali* Sp. S. *operatione*, vi verborum Scripturæ cadere, suprà sect. 1. §. 55. seqq. pluribus probavimus.

2. *Hæc certitudo notitiæ* iterum *duplex* est. *Notitia certa* enim *vel* denotat idem, quod *notitia vera*, quæ objecto cognito conformis est; *vel* idem, quod *notitia cum assensu* conjuncta, quo quis firmiter credit, eum, quem verba sive lecta, sive audita important, esse verum verborum sensum. *Priori* significatu *notitia certa* etiam *non-renatis* competit, ex verbis Scripturæ absq; speciali Sp. S. concursu hausta: sic ex gr. Judæi horum Christi verborum, quibus se Johan. VIII. 58. *Abrahamo* priorem asserebat, notitiam *certam*, id est, *veram* habebant, hanc scil. Christum se æternum Deum facere; quod testatur consequens, dum hanc, pro sua opinione falsâ, dictam blasphemiam non modò linguæ, sed lapides supprimere deberent C. c. v. 59.

29. *Posteriori* significatu notitia *certa*, adhibita pro notitia scil. *cum assensu* conjuncta, omnem hæsitationem ex parte cogno-

3. scentis excludente, *assensum* quantum ad præsens *pro objecti diversitate*

tate

ante admittit *duplicem: alterum verborum; rerum alterum. Ille assensu* est, cujus *objectum* est *verborum* Scripturæ *sensus*, quo quis credit, eum, quem verba gignunt, esse verum verborum sensum: *hic*, cujus *objectum* est ipsorum *dogmatum veritas*, quo quis credit, dogma illud fidei, quod hoc aut illo modo ex verbis concipitur, esse verum. *Prior* assensus præcisè requiritur ad *notitiam certam*: hæsitans enim de sensûs, per verba concepti certitudine, non potest dici *certâ* rei, per illa verba cognoscendæ, notitiâ præditus. *Posterior* assensus autem ad notitiam, quà talem præcisè non requiritur. Potest enim quis propositionis alicujus notitiam habere *certam, assensu verborum, & non certam assensu rerum*; seu *clariùs*: potest quis de sensu propositionis certus esse, ut tamen ei non assentiatur: *ex. gr.* Christus tentatus habebat *hujus propositionis* diabolicæ: *Hæc tibi dabo, quia mihi tradita sunt* &c. Luc. IV. 6. notitiam *certam assensu verborum*, seu erat certus, hujus propositionis sensum esse *hunc*: Diabolum tanquam mundi dominum, omnibus cultoribus suis, adeoque & Christo terrena promittere; non verò *assensu rerum*, seu non credebat Christus, effatum illud, quippe falsissimum, esse verum.

30. Et hic *prior assensus verborum*, ad notitiam præcisè requisitus, quòd & in *non-renati* intellectum, circa articulos fidei intelligendos occupatum, *citra specialem* Sp. S. *concursum* cadere possit, omninò concedimus: Idq; ob rationes supr. sec. 1. fusiùs deductas, quæ brevissimè huc redeunt: Verba clara & significantia in contextu adhibita, intellectum cujusvis, modò linguæ gnari, in sensus sui cognitionem deducunt, eò quòd sunt signa. Jam in articulis fidei juxta nos verba perspicua & significantia extant: facillimè igitur & hæc intellectui cujuscunque verum sensum ingerunt, *assensumq; verborum* conciliant.

31. Verùm enim verò cùm hic *verborum assensus*, utut suo modo certus, non tamen ita certus sit, ut omnem à cognoscente dubitationem removeat; hicce enim in rerum divinarum consideratione, ob sublimitatem fluctuare incipit: hinc ad veram *illuminationem*, quæ immotam in illuminato certitudinem dicit, nondum modò expositus sufficit assensus. Quare tandem *is*, qui *verè* illuminari esse debet, *assensu* à Sp. S. *cum* & *per* verbum in intellectu *modo*

supernaturali operante gignitur. Et sic quoad hanc certitudinem verum est, quòd credendorum notitia *non nudâ* verbi divini *repræsentatione* absolvatur; sed à Sp. S. *supernaturaliter* per, cum & in verbo revelato operante oriatur; id quod & rationes §. 27. evicerunt. Tantùm de *notitia*, succedit id de *assensu*.

2. *Assensum.*

32. Hic autem præmonentes non agi de *qualicunq;* etiam in *non-renatum* cadente *assensu*; sed de eo, qui ex parte 1. *subjecti certus* sit; omnisq; dubitationis expers. 2. *objecti specialis* sit, quo non modò rebus revelatis *in genere*, sed *in specie* & præsertim promissionibus gratuitis assentiamur: ponimus hanc assertionem: *Ejusmodi assensum verbum Dei non naturali vi significativâ operatur; sed ad hunc producendum altior aliqua virtus*, supernaturaliter ipsi *quatenus in usu constituto*, *semper* conjuncta, *vel* insita, *requiritur*. In hac assertione, probanda procedimus ita: 1. Omnis ex oratione resultans assensus dependet *vel* à *vi vocum* significativâ, *vel* ab *objecto*: non *prius*; quia sic omni, adeoque & falsæ enunciationi assensus foret præbendus, cùm & hæc vocum suarum polleat vi significativâ: nec *posterius* quantum ad præsens. Licet enim aliàs oratio intellectum ad assensum determinet ratione *objecti*, per verba significati, intellectuiq; repræsentati, non quidem, ac si verba ex se possint objectum reddere evidens; sed quia illud, cùm in se evidens sit, verba tam clarè proponunt, rationibusq; evidentibus demonstrant, ut ejus evidentia intellectui innotescat; h. l. tamen idem non evenit. Cùm etenim *determinatio* intellectus *ad assensum*, *non* tam dependeat *à verbo ut verbo*, id est, naturali vi significativâ prædito; sed ab *evidentia objecti*, seu rei significatæ: hinc verbum Dei *d. m.* in intellectu assensum progenerare nequit. *Verba Scripturæ* quidem quantum ad fidei articulos satis sunt clara & perspicua, quòd alibi contra *Pontif.* probamus: *Objectum* tamen seu res significata, eo ipso, quod mysteria exhibet, nec in se est evidens, nec evidentibus demonstrari potest rationibus. Conf. *supr.* §. 22. *& sect.* 1. §. 62. idq; ipsum olim *B. Luth. l. de Ser. Arb.* indigitavit: *Res Dei* inquiens, *sunt obscuræ*; *res Scripturæ sunt perspicuæ*, quod declaravit B. *Gerhard. Disp. Is.* 2. *p. m.* 74. idem distinguens inter perspicuitatem *externam*, quæ in Scriptura, & *internam*, quæ in corde est, ut quis mysteria capiat, *illam* concedendo, *hanc* negando. *t. 6. Witteb. f.* 467.

33. Qua-

33. Quare utut vel maximè quis externis impulsivis, de quibus vid. §. 1. §. 6. inductus, aliqualiter credat, mysteria divina non esse falsa, & impossibilia, sed iis assentiatur: attamen ad eum, quem hic quærimus assensum, *certum scil. & specialem*, quo quis *sibi* Deum propitium, *sibi* remissionem peccatorum intrepidè pollicetur, obtinendum, omnes illæ suasoriæ externæ nihil efficient. *Ratio* est; quia, qualiacunq; alicui ad hunc assensum obtinendum afferantur argumenta, & undecunq; petita; tamen conscientia interiùs semper reclamabit, testans, Deum esse justum, peccatorum, hæcq; inter & suorum vindicem. Adeoque illa semper intellectum in contrariam determinabit partem, ut promissionibus Evangelicis nunquam, nisi Sp. S. *cum* ac *per* verbum in ipso operetur, huncq; *modo supernaturali* accendat assensum, assentiri possit. De quibus fusiùs. vid. *Plur. Reverend. D. D. Musæus de Conv. Disp. 2. §. 29. seq. & Disp. 4. §. 25. seqq.*

34. Hinc, ut ad reliqua §. 17. respondeamus, *primò* vox ἐπιγνώσεως Ephes. I. 17. non *nudam* revelatorum *notitiam*, sed *cognitionem salutarem*, assensu & fiduciâ constantem designat. Ad quam generandam, *specialem & supernaturalem* Spir. S. operationem requiri tantùm abest, ut Paulus c. l. neget, ut potiùs illud ipsum probet, dum à Deo Patre *Spiritum sapientiæ* (dona Sp. S. solidam sapientiam & cognitionem mysteriorum ad salutem facientium, concernentia) Ephesiis precatur. *Deinde illuminati mentis oculi* non constituuntur solâ vocationis suæ spe cognitâ & revelatâ, absente *fiduciali*, *seu speciali* assensu; nequaquam: aliàs enim & *hypocritæ*, idem probè cognitum habentes, essent illuminati, quod falsum: *in tenebris* enim esse dicuntur I. Johan. II. 9. 10. 11. *Tertiò* ad id de *lumine*; *verbum* dici *lumen*, quòd luminis instar intellectum ad credendorum cognitionem illuminet, & ita *supernaturalem* Sp. Sancti *concursum* excludat; Resp. Committitur *elench. oppos.* quo opponuntur minimè *opponenda*, sed *subordinanda*. Verbum dicitur ob perspicuitatem *lumen* non sensu *exclusivo*, ut ceu oppositum specialem Sp. S. concursum excludat; sed *subordinato*, quo verbum illuminans Sp. S. operationi subordinetur. *Secundò.*

35. Proinde indubium manet, intellectum convertendi, licèt *verbo* instructum, seu, ut *Strig.* loquitur, *excitatum* (quod ta-

men

men ut in gratiam divinam iniquissimum, hisce: Excitare *est ac si voluntas habens bonas* ac *firmas vires*, sed *dormiens excitetur*, *quæ mox ubi est expergefacta*, *fungatur strenuè suo officio ac labore*. *Veluti si Samson invadendus à Philistinis*, & *excitatus ab amasia mox irruat in eos*, *expugnet* & *perdat illos*, in *Strigelio* meritò reprehendit *Illyricus d. Vin. f. 9. p. 159.*) non solâ *vi verbi significativâ*, & *repræsentativâ* verè illuminari; sed ad hoc altiorem & efficaciorem requiri virtutem; quæ quidem *non* in nova quadam *extra* verbum revelatione, seu actione *ab* operatione verbi *separata* (uti nonnulli *Enthusiasmi* nos insimulare quondam haud veriti sunt, notante *Schlusš. cat. hær. l. 5. p. 523.*) sed in speciali Sp. S. *verbo conjunctâ* operatione consistit.

36. Verbum Dei igitur *duplici* h. l. iterum venit consideratione. 1. quatenus est *verbum*, seu doctrina *vocibus significantibus constans*; & sic cum quavis oratione participat officium, *objectum* per verba significatum intellectui *repræsentandi*: quæ quidem repræsentatio sicut ad illuminationem veram necessariò requiritur; ita quòd hujus essentiam non exhauriat, §. 27. probatum dedit. 2. quatenus est *Dei verbum*, & *Sp. S.* intellectum illuminantis *organon*, & sic ad *naturam* omnis *causæ instrumentalis* à Spir. S. elevatur, ut influat in effectum virtute suâ nobiliorem, veram scil. illuminationem, quam aliàs *ex se*, *ut doctrina objecti repræsentativa* nunquam posset producere. Quare *illuminatio*, ut *una* actio dependet à *Sp. S.* & *verbo*, ut causis quidem *ejusdem generis*; ab utroq; enim *efficienter*: attamen ut causis *diversi ordinis*; ab *illo*, ut *principali*; ab *hoc* ut *instrumentali*; de quibus uberiùs infr. c. 3.

Ανακεφαλ. instituitur per testimonia 1. Script. S.

37. Adeò tandem hæc omnia *intellectus* nostri *omnimodam ἀδυναμίαν* ad oculum demonstrant, quibus proinde edoctus *Strigelius*, quæ *aptitudo*, *capacitas*, *modus agendi*, *assensus*, *nutus*, Jawort/ in hominẽ cadere posset, videre debuisset; *nulla* scilicet. Quæ omnia ut unico pateant obtutu, attendantur loca Rom. III. 11. Non est ὁ συνιῶν &c. en cœcitatem! Esto quidẽ h. l. agere potiùs de *affectu malitiæ*, quàm *defectu notitiæ* (naturalis sc.) nostræ tamen favet sententiæ. II. Cor. II. 16. *quis idoneus?* Conf. §. 9. ecce *Victorine*, *aptitudinem*! II. Tim. III 8. κατεφθαρμένοι τὸν νοῦν, *homines mente corrupti*, seu qui cœcis erroribus, quasi nube circumsepti lucem veritatis non agnoscunt. Johan. VIII. 27. *non cognoverunt*, *interno* scil. *salutariq;*

audi-

auditu & assensu: *externo* enim auditu, in aurium ministerio consistente quòd cognoverint, quis dubitet? C. X. 6. Marc. VIII. 17. C. IX. 32. Luc. IX. 45. C. XVIII. 34. ὐδὲν τύτων &c. Johan. XIV. 17. *mundus non potest capere*: quem in locum ita *Brentius*: *Quidquid in hominibus hujus mundi est, non potest suis viribus esse* capax *spiritus, ut sunt* ratio, prudentia carnis, & liberum arbitrium. *Ut autem hæc fiant* capacia, *non fovenda & defendenda sunt, sed* abneganda. *Qui enim vult me sequi, inquit Christus*, abneget *semetipsum*, semetipsum, *inquam, totum, id est rationem, lib. arb. omnesq; vires humanas*. Hæc ille, quæ tibi, *Strigeli*, tuam monstrant *capacitatem*.

38. Quis ergò, egregiam *Strigelii*, inde, quòd homo intellectu polleat, seu quòd *intelligens natura à bruta differat* (uti sæpiùs loquitur in *d. Vin. f. 5. p. 71.* &c.) aliquas, utut *languidas*, vires statuentis, *fallaciam causæ* non animadvertit? Sanè longè aliam concludendi formam S. Scr. testimonia monstrant, quam & *B. Lutherus*, qui unus nobis meritò est instar omnium, passim nobis inculcavit. Hic enim: Das Evangelium ist eine solche Lehre/ inquit, die **nicht** mit der Vernunfft kan begriffen werden/ sondern ist der Vernunfft gantz und gar frembd/ entgegen und zuwieder. Tom. 3. Lat. Jen. f. 42. Item: Es ist **nichts fährlichers** in uns/ denn unser Vernunfft und Wille/ ja unter allen Fährligkeiten ist kein **fährlicher Ding**/ denn eine **hohe** reichsinnige **Vernunfft**/ wenn die in Glaubensachen gereth. *Tom. 2. Germ. Jen f. 243.* Et: Lieber was guts thut die Vernunfft zum Glauben/ ist nicht sie/ die dem Glauben und Worte Gottes aufs höhiste wiederstehet/ daß niemand für ihr zum Glauben kommen kan/ noch Gottes Wort leiden will/ sie werde denn **geblendet und geschendet**/ daß der Mensch ihr absterbe/ und gleich werde als ein Narr/ und ja so **unvernünfftig** und **unverständig** als ein junges Kind/ soll er anders gläubig werden/ und Gottes Gnade empfahen/ wie Christus spricht: Matth. XVIII. 3. idem *B. Heros habet in Post. Eccles. Dom. 3. Epiphan.* Imò, quod probè notes, his longè graviora: **Des Teuffels Braut** Ratio, die **schöne Metze** fähret herein/ und will klug seyn/ und was sie saget/ meinet sie es sey der H. Geist/ wer will da helffen/ weder Jurist, Medicus, noch König/ noch Käyser/ denn es ist die höchste Hure/ die der Teuffel hat/ die andern groben Sünden sihet man/ aber die Vernunfft kan man

2. Lutheri.

nicht richten. Die Vernunfft fähret daher/ richtet Schwermerey an mit der Tauffe/ Abendmahl/ etc. Meinet/ alles was ihr einfällt/ und der Teuffel ins Hertze giebet/ soll der H. Geist seyn *in ultima Witteb. habita concione, t. 8. Jen. Germ. fol. 312.* Hæc vir Dei divino percitus zelo, primâ licet fronte durissima, hoc tamen in negotio verissima nobis reliquit: cujus in judicio nos meritò acquiescentes hæc de judicii, seu *intellectûs* nostri *ἀδυναμία* obsignamus.

CAPUT II.

De falsarum Causarum posteriori, corde, seu voluntate.

1. Hactenus ita *intellectûs ἀδυναμία Victorino* ostensâ, quid de *corde* s. *voluntate* sit sentiendum, fermè per se patet.

2. Ubi quidem in fronte neminem turbari volumus eo, quòd nos *cor*, seu *voluntatem* conjungentes pro *Synonymis* ea h. l. venditemus. Quamvis enim non ignoremus, *Philosophos* animam rationalem, adeoq; intellectum & voluntatem non in *corde*, sed *cerebro* collocare, cor solorum affectuum arcem constituentes: attamen morem & phrasin *Hebræorum*, totum hominis regimen cordi tribuentium, ideò, quia in *intellectu practico*, & electione plurimùm affectus, aut *cordis motus* dominentur, not. *Flac. Cl. Scr. p. 176.* nos imitati, unà cum F. C. *voluntatem & cor* hic conjungimus, de utroq; unam eandemq; in hoc negotio demonstraturi impotentiam.

3. Quæ ipsa jam spontè *intellectûs* cœcitatem consequi videtur: *voluntas* enim cùm sit potentia *cœca*, nullâ cognoscendi vi prædita, quòd cœcum ducem sectans, eâdem laboret cœcitate; vel cœcus videat. Si etenim illud *irregenito* non inest; quod *magis* inesse videbatur, *aliqua* scilicet rerum divinarum *cognitio salutaris*; multò minùs id, quod *minùs* inesse videtur, scilicet earundem *voluntas*, assensus & desiderium, inerit. Sed *cor & voluntas non renati* non modò à Deo *aversa*, sed ei planè *adversa*, & ad malum *conversa* est, docente *F. C. p. 660.*

Loc. Scr. Gen. VI. & VIII. 4. Id quod totus probat codex sacer, cujus *potiora* testimonia extant Gen. VI. 5. & VIII. 21. *Figmentum cordis humani* &c. Ubi *notanter* dicitur כל יצר omne figmentum. Vox יצר à R. יצר, quod

figu-

ſſigulorum verbum eſt, ut ait *Buxtorff. in Lex.* poſteaq; ſignificat, *vel* mente ſeu animo aliquid, quod fuſum erat, *concipere, imaginari, effigiare*; *vel* foris ſecundùm illum animi conceptum *rem* corpoream *formare, figurare*, not. *Förſtero in Lex. p. 345. fictionem, formationem* denotat h. ſ. quod ſicut figulus ex impuro luto varii generis ollas fingit: ita *cor* humanum peccato corruptum, ſit mirabilis figulus, qui nunquam non impuras ac fragiles formet ollas. Ut ita τὸ יצר non modò peccata *actualia*, ſed *cordis* pravitatem *originalem*, per varias concupiſcentias ſeſe exſerentem, quam & Rabb. vocant יצר רעה, convenientisſimè exprimat.

5. Quam corruptionem *quadruplex* in textu contenta *univerſalitatis nota* valde exaggerat; eaq; 1. *ſubjecti*, in voce *cordis*. Sicut *cordis* vocabulo S. Scr. etiam ſuperiores animæ facultates, conf. §. 2. aliàs; ita & h. l. easdem indigitat; quâ de cauſa, ne cum *Pontif. inferiores* tantùm *potentias* corruptas ſtatuamus; hæc: מחשבת לבו *cogitationum cordis*, addit. Unde graviter notata V. V. pro *tribus* in Hebr. contentis gradibus, *duos* modò exprimentis fraude, τῶ לבו, *voluntatem* eſſe corruptam; ſed non tantùm; verùm etiam voluntatis ducem *ratiocinationem*, voce מחשבת; nec *hanc* tantùm, ſed etiam, quæ ratiocinationem præcedit, primaq; in hominis mente facultas eſt, quâ concipiuntur ea, quæ poſtea ratione dijudicantur, & tandem voluntate concluduntur, *imaginationem* ipſam, teſte τῶ יצר depravatam, docetur. 2. *actûs*, indigitata hisce: *Omne figmentum cordis*: quo omnes cordis motus & affectus comprehenduntur. 3. *malitiæ* in hisce latens: רק רע *tantùm malum*, quæ non vulgarem *pleonaſmum* & αὔξησιν, ut *Corn. à Lap. comm. in h. l. p. m. 113. c. a.* voluit, ſed hoc, ne quis hominem interdum tantùm hallucinari, utplurimùm autem meliora ſapere putet, denotant. 4. *temporis* כל־היום *omni die*. Ut itaq; hæc loca *voluntatis* noſtræ *totaliter* corruptæ exhibeant teſtimonia, omni exceptione majora, ut pluribus tradit *B. Gerhard. comm. in Geneſ. p. m. 180. ſeq. & Diſput. Iſag. 24. c. 2.*

6. Succedit alius ex Jer. XVII. 9. עקב הלב מכל, *ſupplantativum, perverſum eſt cor præ omnibus*; ubi τὸ עקב à R. עקב, ſupplantavit, calcaneo ſuppoſito peſſundedit, fraudulenter & doloſè egit; notat, *ſupplantativum*, deceptivum, verſutum, & verſipelle eſſe cor humanum. *Jer. XVII. 9.*

 7. Se-

Rom. VIII. 7. 7. Sequitur classicus ille locus Rom. VIII. 7. φρόνημα τῆς σαρκὸς: sensus carnis, &c. Quòd σάρξ non denotet naturam *ut talem*, seu potentias ac operationes â naturâ, *ut tali* profluentes, adeoq; φρόνημα τῆς σαρκὸς non significet *notitias naturales*, ostendit *oppositio*, quâ φρόνημα τῦ πνεύματος & φρόνημα τῆς σαρκὸς, ab *effectis* & *adjunctis oppositis* declarantur. Sicut igitur φρόνημα τῦ πνεύματος *bonum* istum mentis & voluntatis in *renato motum*, à S. S. excitatum, ut ex additis v. 6. *effectis* colligere est, indicat: ita φρόνημα τῆς σαρκὸς *motum* ac conatum mentis & voluntatis in *non-renato*, legi Dei *contrarium* designat. Quod & significanter *Apostolus*, non dicendo: φρόνημα τῦ ἀνθρώπυ, ne quis omnem, ex principiis naturæ legitimè deductam notitiam hîc rejici autumet; sed φρόνημα τῆς σαρκὸς, directè ad *perversam* hominis *voluntatem*, corruptamq; naturam, quæ sæpiùs in sacris nomine carnis venit, vid. *D. Calixt. comm. in h. l. p. m. 63.* digitum intendens, subindicavit.

8. Ergò *breviter*: φρόνημα τῆς σαρκὸς, juxta ipsum *Strigelium in hypomn. in h. l. duas* res complectens, videlicet *mentis* judicium de Deo, & *voluntatis* ac *cordis* impetus; hic significat *rationem* & *appetitum non renatum*, indeq; subortas *cogitationes*, *studia*, *consilia*, *voluntates*, seu quidquid caro sapit, cogitat, vult aut cupit. Hæc omnia dicuntur Deo *adversa*, & *inimica*, adeò ut nihil prorsus homini lapso relictum sit, quo scil. ad gratiam Dei, suive conversionem vel *minima ex parte* attemperare aut applicare possit.

9. Esto igitur, quòd juxta *Philosophos* aliqua lux in mente restet, quæ nos ad optima quævis juxta illud: ὁ λόγος πρὸς τὰ ἄριστα προκαλεῖ, hortetur, quæq; *Ethnicorum* res præclarè gestas patraverit: hæc tamen omnia, nostro quamvis judicio laudabilia, extra *civilis* vitæ terminos extendenda sunt nequaquam. Ad *spiritualia* enim, religionisq; negotium ubi perventum, ibi judicium Dei, penitiùs cor nostrum penetrantis, studiaq; nostra excutientis longè aliud est. Hic sc. *cor* sapientissimum עָקֹב *pravum* Jer. XVII. 9. *intellectum* sagacissimum βδελυκτὸν *abominabilem*, Tit. I. 16. *vanitatem*, Eph. IV. 17. *voluntatem inimicitiam* Roman: VIII. 7. appellat, iisque hominem omnibus viribus exutum exhibet.

10. Quod & addita ratio in textu l. c. *quia legi Dei non subjicitur*, &c. & *actum* & *potentiam* removens, adeoq; residuarum vi-

rium.

rium planè nihil relinquens, not. *Illyr. d. Vin. f. 3. p. 50.* clariùs ostendit. Sicut igitur *hostis quà talis* nunquam ad alterius se componit arbitrium, sed usquequaq; pro viribus reluctatur: ita homo *corruptus* est ejusmodi *hostis* Dei ἄσπονδος, qui nil aliud, nisi hoc unum, quomodo legi & sapientiæ divinæ, atq; adeò suæ ipsius saluti è diametro repugnet, quærit & agit, legiq; Dei se nescit subdere. Quod si igitur homo ex voluntate *non renata* assurgere, & juxta *Strigelium* Deo convertenti aliquatenus assentiri potest; sequitur, *aut* conversionis actus non pertinere ad Dei legem, *aut* hominem posse subjici legi Dei. Utrumlibet eligat *Victorinus*, falsitatis stigmate se notabit, *voluntatisq;* ἀδυναμίαν vel invitus testabitur.

11. Nec aliter hoc se habere potest. Suprà plurimis *intellectûs impotentiam* probatam dedimus; *voluntas* igitur semper in appetendo, *intellectûs* cognitionē sequens, non potest non eâdem cum *intellectu* impotentiâ laborare; adeoq; æquè ac *ille cæcus*, de spiritualibus nihil percipere; *hæc* nihil desiderare potest. Hinc sicut *intellectus* nullo modo *per se* absq; Sp. S. gratia ad *specialem* assensum induci potest: Confer c. 1. ita voluntas *ex se* non potest habere circa ea *actum efficacem* i. e. ea desiderare, petere. Quod & luculenter docet Paulus, *voluntatis malitiam* cū *mentis cæcitate*, ita ut *hanc illius* causam statuat, conjungens, dum pronunciat, *gentiles abalienatos* à vita Dei *ob ignorantiam* Eph. IV. 18. &c. Quòd igitur hi dicuntur *abalienati à vita Dei*, i. e. ab inhabitatione & regimine Dei in ipsis viventis, quod ad *voluntatem* spectat (hæc enim velut aliàs actionū humanarum, ita & hujus *alienæ vitæ*, potissimùm quà *actū secundum*, seu actiones Deo adversas spectandæ est principium) ejus ratio nō affertur alia, quàm *ignorantia* si cœcitas *intellectûs*, planè eodem, quo nos usi, concludendi medio.

12. Quò collineat & id, quod Scriptura hominem *servum peccati*, Rom. VI. 20. in cujus corpore peccatum βασιλεύει. c. c. v. 12. κυριεύει v. 14. appellat. Quæ *servitus duo* importat. 1. *negationem* omnium viriū agendi quid *spiritualiter* boni. Sicut enim servus *instrumentum* domini juxta *Philos. 1. Polit. c. 4.* adeoq; domino ignobilius agens, non potest ultra ejus, tanquam causæ *principalis* vires elevari; ita & homo corruptus *servus & instrumentum* peccati, ultra ejus vires elevari, id est, non sublimius quid, quàm ipsum peccatum ex propiis viribus sapere & efficere potest. 2. *determinationem* ad *malum*. Sicut *Rom. VI. 20.*

servus

servus in agendo totus à nutu domini dependet, ita ut præter & contra hujus voluntatem ipsi nequidquam agere sit integrum; ita & *voluntas* nostra pecca i *serva* peccato obstricta est, nec quidquam, nisi quod peccatum jubet, ex se agere valet; estq; sic *determinata ad malum*. *Conf. supr. s. 1. §. 53.* & *necessitati immutabilitatis*, quâ *immutabiliter* ad effectum malum se habet, nec in quid, nisi *malum*, respectu *sui* naturaliumque virium ferri potest, Jerem. XIII. 24. subjacet.

Ephes. II. 1. 13. Cujus & omni exceptione majus testimonium legitur Ephes. II. 1. νεκροὺς τοῖς παραπτώμασι. *Mors* velut aliàs carentiam vitæ, omniumque actionum vitalium; ita & hæc *mors spiritualis* utramque animæ potentiam omnibus vitæ spiritualis operationibus destitutam asserit. Unde sicut homo *corporaliter mortuus* seipsum ad vitam temporalem recipiendam *propriis viribus* præparare aut accommodare non potest: ita homo *spiritualiter* in peccatis *mortuus* seipsum ad consequendam spiritualem & cœlestem justitiam & vitam, *propriis viribus* præparare, applicare aut vertere non potest; nisi per Filium Dei à morte peccati liberetur, & vivificetur, argumentante ita *F. C in decl. p. 658.* Cujus argumenti nervum confirmat loc. Colos. II. 13 *Et vos cùm essetis mortui* ἐν τοῖς παραπτώμασι, καὶ τῇ ἀκροβυστίᾳ, ubi *duo* peccatorum genera, mortis hujus causæ, exprimuntur: *Originale*, voce ἀκροβυστίας; non enim ipsum carnale præputium; sed *Metaphoricè connata carnis immunditiès*, & perversitas in omnium virium bonarum *carentiâ*, & naturali quadam ad malum *pronitate*, pravisq; connatis affectibus posita intelligitur, & *actualia*, quæ voce παραπτώματα *transgressiones legis* indigitantur. Adde Joh. V. 25. οἱ νεκροὶ sc. *spiritualiter* in peccatis. Matth. VIII. 22. I. Tim. V. 6. Conf. *B. Chemn. harm. Evang. c. 46. p. m. 369. c. a.*

Except. Strigel. I. 14. Excipit hîc quidem *Strigelius* 1. distinguens inter *mortem simpliciter*, & *secundùm quid* spectatam, dum ita: *Quod ad proprietatem intellectûs*, infit, *& voluntatis attinet, homo* non *est simpliciter mortuus*, *sed* secundùm quid. *Est* simpliciter *mortuus*, *respectu* liberationis à peccato, & morte. *Sed quoad* proprietatem, *quæ est inseparabilis à substantia hominis*, *ea* non *est simpliciter mortua* &c. *d. Vin. s. 2. p. 35.*

Resp. Sed hac exceptione *Strigel. partim* extra oleas turpiter vagatur; *partim* sibi ipsi non constat. *Utrumq;* patebit ad oculum:

lium: *illud* inde, quod meminit *proprietatis à substantia hominis inseparabilis*: verùm quis sanus hoc unquam asseruit? Æquè ac suos digitos *Victorinus* noverat, non venire in controversiam: *Num proprietas à substantia hominis* insepa abilis, quæ, quoad voluntatem nihil aliud est, quàm ipsa libertas ὁσιωδῶς considerata, sect. 1. *sit mortua*, *seu sublata?* Hanc enim, qui tollere velit, hominem ipsum eadem operâ tollere, demonstravimus. Quorsum E. hæ tam speciosæ, ne quid dicam gravius, elabendi offuciæ? Victum necesse est tacitè se fateatur *Victorinus*, tam turpes à scopo saltus facere non dubitans. *Alterum*, *Strigelii* scil. inconstantia, elucet inde, quòd in propositionum suarum 1. & 3. ut & cit. *seß. d. Vin. p.* 31. *& seqq.* confessus, *hominem naturalem non tantùm omnes vires bonas in spiritualibus amisisse*, sed *insuper* contrarias *nactum esse*, hîc palinodiam canat. *Amisisse* enim *bonas vires* est idem, quod *mortuum esse*, docente *Illyrico c. l. p. 35.*

15. Nec juvat eum 2. inter *triplicem* mortem distinctio, quâ 1. est *mors culpæ*, seu reatus; 2. *pœnæ*, seu exitii futuri certitudo; 3. *virium* in agendis erga Deum *omnimoda privatio*, cujus autem *postremum* membrum, *prioribus* concessis, negavit. Hoc ipso enim eum Apostolo in faciem contradicere, sic ex Col. II. 13 demonstramus: Præter *primam* & *secundam*, *tertiam* quoque (juxta *Strigelii* scil. distinctionem) mortis *speciem*, s. gradum infert præputium. E. non solùm *primâ* & *secundâ*, sed & *tertiâ* sumus mortui. *Major* Pauli θεοπνεύστου testimonio nixa, aliud robur non expetit: *Minor* probatur ex textu h. m. παραπτώματα & ἀκροβυστία conjunguntur ut diversæ causæ. E. & effectis *aliquatenus* differunt. Dico: *aliquatenus*: nam uti aliàs diversæ causæ sæpiùs in unum influunt effectum (quod est alterius fori) sic & hic ἀκροβυστία, quòd *Victorini* mortem *primam* & *secundam*, æquè ac παραπτώματα, inferat, non negamus; præter hæc tamen adhuc aliud quid à παραπτωμάτων effectu illam causare, ex *emphatica* Apostoli *conjunctione* asserimus. Cùm igitur παραπτώματα *geminam priorem mortem* inferant, sequitur infallibiliter, ἀκροβυστίαν *tertiam*, ἀδυναμίαν scilicet, importare, & sic consequenter hominem esse *tertiâ* specie mortuum; id quod erat demonstrandum. Quo hic brevitatis studio contenti, interea hujus negotii, ἀκροβυστίας (peccati originalis) effectus, & consequentis cognoscena-

2. (margin, beside line 1 of §15)

Resp. (margin, beside "Hoc ipso enim")

scendi cupidum L. ad unanimem orthodoxiæ consensum, ut *F. C. Decl. p. 640. B. Chemnit. Ex. C. T. p. 164. B. Gerhard. d. Isag. 25. p. 895. Meisner. anth. sac. d. 7. th. 6. seq. Gravv. A. C. t. 1. p. 241.* &c. amandatum volumus.

3. 16. Nec tandem obtinet quid *Strigelius*, distinguens 3. inter mortuam *diaboli*, & *hominis* naturam, de quo ita: *Sicut peccatum diaboli*, inquit, *differt à peccato hominis; ita mors diaboli à morte hominis, & sicut peccatum diaboli est in summo gradu*; ita *mors ejus in summo gradu* est. *Atqui peccati hominis est gradus longè* inferior, &c. *d. Vin. f. 5. p. 104.* Ubi *Strigelius* ita argumentatur: Si homo *magis vivit* diabolo, sequitur, eum *non planè esse mortuum*; sed adhuc semivivum, & per consequens quadantenus adhuc *activum*. Sed prius est. E. *Sequelam* probat; quia diabolus est planè mortuus. *Prius* confirmat eo, quod homo & diabolus *differunt in peccato*. E. & *in pœna*.

Resp. Resp. 1. *per instantiam:* Diabolus diabolo est deterior, & alter altero *magis vivit*, s. minùs mortuus, est. E. efficax ad sui conversionem? N. V. C. Diabolorum enim nullum converti posse, ipse largitur. *Negamus* igitur 2. *sequelam*; quia hîc ut in comparatione *impropria*, ubi *tertium comparationis* neutri extremorum inest, *à comparativo ad positivum affirmativè N. V. C.* docente *B. Stahlio nostro in reg. tit. 15. re. 3.* Et 3. quid multis? Et Diabolum & hominem in *merè spiritualibus* mortuum Scr. pronunciat, quî E. ex discrimine inter utrumque hujus mortem negabit *Victor:* non secus, ac si hæc *magis & minus* non recipere possent?

Obj. Victor. palmaria. 17. His ruinosis ita dejectus fundamentis *Strigel.* aliud suâ pro opinione firmius quærit; sc. omnia nostra de voluntate *irregenita sibi relicta* concedens, non de voluntate *mota, excitata*, &c. Sic enim: *Aliud est*, ait, *loqui de natura hominis, quæ nullum sensit motum Sp. S. per verbum; aliud de hominis, qui* cœpit *sanari* &c. *d. Vin. f. 1. p. 20.* Et clariùs: *Homo est mortuus ita, ne possit propriis viribus sua sanare vulnera, sed quando ei* remedium *affertur per Sp. S. & verbum; ibi certè in accipiendo beneficium*, non est omninò mortuus; *alioqui non posset fieri conversio*. Et paulò post: *Voluntas sic est condita, ut possit excutere Sp. S. & verbum*; vel adjuta possit aliquo modo velle, *& obsequi. Remedium est cœleste; sed* accipere est voluntatis, non *quidem solius voluntatis*; sed adjutæ *per Sp. S.* &c.

C. d.

C. d. s. 5. p. 106. Quorsum & *magnetis allii* succo illiniti, ferrum *non trahentis*; sed pòst eo *remoto, trahentis*, simile tendit. *c. d. s. 1. p. 23.* Quæ *Strigelii* mentem exhibent hanc: voluntatem, *Dei*, in verbo se exserentis, *auxilio destitutam* verè esse mortuam; sed eandem verbo, intellectui spiritualia repræsentante, eamq; in cognitionem horum deducente, se pòst habere aliter; & sic *excitatam, adjutam* vel minimùm *languidis*, objectum cognitum appetendi viribus pollere.

18. Cui opinioni plausibilitatem quandam parit *natura objecti*, voluntatem ad *actum volendi* moventis, ita ut præter objecti bonitatem ab intellectu cognitam, voluntatiq; exhibitam nihil ampliùs requiratur. Voluntas enim in operationibus suis *ab objecto* dependet, ita ut hoc in ordine ad actum volendi aliquam exerceat *causalitatem, finis* nimirum. Scilicet objectum, verb. gr. *honor*, *divitiæ*, prævio *intellectûs* de convenientia, vel disconvenientia judicio, ab *intellectu* ut eligibile cognitum, & quà bonitatem suam *voluntati* exhibitum, *voluntatem*, ut id velit, movet *motione* non quidem *activâ*, & propriè dictâ, sed, ut ajunt, *metaphoricâ*, de quo consulatur desideratissimus *Præcept. B. Slevogt. d. 5. de ind. vol. th. 34. & 48.* id est: objectum non quando latet adhuc, incognitumq; est; sed quando proponitur, cognoscitur, & appetendum judicatur, voluntatem ad illud appetendum impellit, & incitat. *Apparet probabil.*

19. Haud secus & hîc rem comparatam esse, vult *Strigelius*: *Verbo divino* intellectui exibentur objecta *spiritualia, gratia Dei, remissio peccatorum*, hæc eligenda & appetenda esse intellectus variis suasoriis judicat, quod *intellectus judicium practicum* voluntas sequatur. Idque ideò, quia voluntas vix aliam in se operationem, quàm eam, quæ in boni vel mali *ostensione* consistat, admittere videatur. Quare ex *Vict.* mente gratiæ Dei, vel *verbo*, nullus effectus alius, quàm per objectum, *ut appetibile* cognitum, voluntati ejus *desiderium suadere*, volitionisque calcar addere, adscribendus venit; quod & dilemma *à coactione, aut suasione*, de quo infrà s. 3. speciosè urget.

20. Verùm Resp. simpliciter *negando Strig. hypothesin*, *à natura objecti* petitam, quæ ne in rebus quidem humanis universaliter vera est. Quod ut pateat, distinguimus 1. inter *voluntatis actum efficacem, & complacentiæ. Hic* est, quò placet objectum voluntati, *Resp.*

hæcq;

hæcq; in illud tendit *secundum se*, non verò *ut acquirendum*, aut faciendum: quia vel nullâ ejus consequendi spe alitur, vel labores detrectat, vel & aliis se deterreri patitur causis. *Ille* est, quô voluntati ita quid placet, ut id velit efficere, & vel nullis parcendo laboribus, consequi. 2. inter *cognitionem confusam*, & *distinctam*. *Illa* est, quâ sub *universali ratione* in communi tantùm quid cognoscimus, ut *esse aliquem Deum*, *esse aliquam vitam æternam*, *esse aliqua hujus obtinendæ media*: *Hæc* ea est, quâ rem accuratè *secundùm propriam rationem* suam cognoscimus, ut: *esse Deum Trinunum Deum verum*, *esse vitam æternam in visione beatifica positam*; *esse hoc* & *non aliud*, *meritum* scil. *Christi fide apprehensum*, *ejus consequendæ medium*.

21. Quibus præmissis aliquot rem expedimus *assertionibus*, quas inter esto

Conclus. prima. I. *In objectum aliquod merè spirituale* (*N. B. merè spirituale*: dantur enim objecta *alia*, de quibus sect. 1. §. 73. ut *moralia*, quæ sunt actiones virtutum in Decalogo præceptæ, quæq;, cùm ex notitiis naturalibus quodammodo hauriri possint, non *merè*, sed *aliquatenus spiritualia* dici possunt; *partim* ideò, quod præprimis renatis ceu *spiritualibus* agenda incumbunt; *partim*, quòd lex, ut *spiritualis* non externis actionibus contenta, motus & actiones eas, quæ non possunt, nisi *Spiritu* Dei agente exerceri, postulat, notante *B. Chemnitio de L. A. c. 5.*) *sive confusè*, *sive distinctè cognitum ut bonum*, *voluntas ex se actu* simplicis complacentiæ *ferri potest*. *Duo* hîc dicuntur 1. de cognitione *confusâ*. 2. *distinctâ*. *Prius* probat id, quod §. 18. dictum de *naturâ objecti cogniti*, voluntatem ad appetendũ moventis. Objectum enim *quodcunq;* saltem *confusè* cognitum voluntatem ad actum *non* quidem *efficacem*, sed *simplicis complacentiæ* movere potest. Dico: *Objectum quodcunq;*, sub cujus ambitu etiam ipsa *impossibilia*, concepta *ut talia*, comprehendo, asserens, & hæc posse movere voluntatem, seu *voluntatem esse impossibilium*, juxta *Philos. 3. Eth. c. 2.* Ex gr. *Deum non esse*, est simpliciter impossibile; hic enim est ens simpliciter necessarium: hoc tamen *impossibile*, conceptum *ut tale*, voluntatem impii movere potest *ad actum simplicis complacentiæ*; id est: impius potest velle, non esse Deum, Psalm. XIV. 1. idque ipsi placere potest, dum per modum alicujus sibi convenientis apprehendit, etiamsi sciat, id simpliciter esse impossibile. Adeoque

in ipsum *impossibile* cognitum ut tale, voluntas *simplicis complacentiæ* actu ferri potest.

22. Inde *à minori* ita colligimus: Si hoc, eàdem & majori ratione *objectum spirituale confusè* cognitum ut bonum, voluntatem ad *simplicis complacentiæ* actum ex se eliciendum movere potest. Natura enim voluntatis ea est, ut circa bonum *quodlibet* cognitum *per se* hujusmodi actum elicere possit, idq; ob objecti cognitionem hic solùm sufficientem. Testantur hoc Scripturæ exempla *Herodis* audientis ἡδέως Marc. VI, 20. *Agrippæ* dicentis: ἐβουλόμην, Act. XXV. 22. *Atheniensium* πάλιν ἀκούσομεν Act. XVII. 32. Qui omnes *ceu irregeniti*, illuminatione, ejusq; effectu, *distinctâ* mysteriorum *cognitione* destituti, & *confusâ* saltem tincti, horum audiendorum amore tamen ducti sunt, quod absque *complacentiæ* actu fieri non potuisset. Sic igitur hic causa, propter quam *non renato* aliquas supr. s. 1. §. 55. tribuerimus vires, exprimitur. *Probatur* I.

23. *Posteriùs* de *distinctâ* cognitione eodem modo inferimus, procedendo à *minori*. Si voluntas ex se *actum simplicis complacentiæ* circa *quodlibet* objectum, saltem *confusè* cognitum exserere potest: sequitur quòd & eadem voluntas circa objectum *spirituale distinctè* cognitum eundem exserere actum possit. Sed *prius* demonstrarunt proximè antecedentia. E. Sicut enim spiritualia bona intellectui ita *distinctè*, ut bonitas eorum satis exhibeatur, proponi possunt; ita voluntas eâdem circa *hæc*, ac *alia* objecta quantum ad *simplicis complacentiæ* actum pollet virtute. 2.

24. Non tamen hoc ipso has, modò voluntati respectu *spiritualium* concessas, vires pro *merè spiritualibus*, quæ conversionem ipsam vel inchoare, vel promovere possint, venditamus. Voluntas enim tendens in spiritualia *confusè* cognita, non tendit in ea, *ut talia*, sed ut rationem alicujus *boni in communi* exhibentia. Unde fit, ut postea illa *distinctè* cognita, voluntas tota aversetur. Sic *nulla gens tam ferrea* est, *tamq; immansueta*, *quin Deum esse* sciat, juxta *Cicer. l. 1. de leg.* at quando hunc, qui Trinunus sit, qui Filium hominum Redemtorem miserit, verâ fide apprehendendum, esse Deum habendum, &c. audit; tum quilibet nihil minùs, quàm hoc *suis viribus* credere potest. Item cùm voluntas actu *simplicis complacentiæ* tendit in *spiritualia* etiam *distinctè* cognita; non tendit in ea, *ut*

verè talia, & ut *acquirenda*; sic n. esset actus *efficax*: sed tendit in ea, ut intellectui quidē aliquatenus *bona secundū se* visa, visa tamen ei simul *impossibilia*. Qui actus cùm & in extremè impiis, ut hypocritis, ordinē verb. gr. *justificationis* probè scientibus, nec tamen de ea consequenda laborantibus, detur; itidem pro *verè spirituali* & conversionis initio habendus minimè est; sed ad actus *externæ pædagogiæ*, de quibus c. 1. §. 55. fusius actum referendus est. Conf. *B. Chemnit. LL. p. 1. f. 169.* &c.

Secunda. 25. Hinc fluit *assertio*

2. *In objectum aliquod spirituale*, confusè *tantùm*, & *sub universalis boni ratione cognitum, potest voluntas naturaliter tendere actu efficaci; seu potest illud appetere, ut* acquirendum. Probatur ex Rom. IX. 31. & X. 2. *Israël sectatur legem justitiæ*. Sanè *lex justitiæ* est objectum *spirituale*; *sectari* autem eam, item ζῆλον θεῦ ἔχειν, sunt *actus* voluntatis *efficaces*. Unde Judæorum voluntas in objectum *spirituale actu efficaci* tetendit, at in objectum *confusè* cognitum. Noverunt illi, esse aliquam coram Deo valentem justitiam, eamque ut obtinendam quæsiverunt: sed *distinctè*, in quonam hæc justitia Dei, sc. in merito Christi fide apprehenso, consisteret, & ignorarunt, & ignorare voluerunt; atque ita circa hanc *distinctè* cognitam actum *efficacem* nullatenus exseruerunt, Rom. IX. 31. 32. c. X. 3. Sic & hic voluntatis actus circa *spiritualia confusè* cognita, licèt *efficax*, nondum quidquam ad conversionem facit, nec fidem operatur *salvificam*: Matth. V. 20. Hæc enim objecta *spiritualia* justitiam, salutem ut *acquirenda*, adeoq; voluntate *efficaci* non *confusè* tantùm, sed *distinctè* in Christi, unici salutis fontis & fundamenti Act. IV. 12. I. Cor. III. 11. meritò respicit. Concedimus igitur *Strigelio aliquas* voluntatis vires tendendi in objectum *spirituale*, sed tantùm eò, quem datæ *assertiones* exposuerunt, modo. Qui cùm nondum constituat, ut dictum, actus *merè spirituales*, conversioniq; *intrinsecos*; nondum ille voluntatis vel minimam obtinuit synergiam, vel, ut ait, *acceptionem*.

Tertia. 26. E diametro igitur ei contraria sequitur assertio

3. *In objectum aliquod merè spirituale* distinctè *& in particulari cognitum voluntas* ex se *ferri nequit actu* efficaci. Hanc, ut totius rei cardinem, præter jam adducta expressa *S. Scripturæ testimonia*

proba-

probamus *rationibus* seqq. 1. Voluntas est ad malum determinata. *Probatur.*
E. non potest in objectum *merè spirituale* actu *efficaci* ferri. *Majo-* 1.
rem agentia ad unum oppositorum determinata satis stabiliunt: *Minorem* autem tum §. 12. h. s. tum s. 1. §. 53. ivere confirmatum. Quare id saltem addimus, hanc voluntatis *determinationem* esse à *malitia* ejus *partim connatâ*; quâ ob connatam impotentiam necessitate quadam (*immutabilitatis*) in malum propendet, nec potest ex se ad spiritualia adspirare; *partim sponte contracta*; quâ crebra peccandi consuetudo, appetitui quasi soluto frena laxans, *connatam* auget malitiam, novamq; ei superaddit. *Hæc priori* superveniens voluntatem jam tum ad malum pronam, in eo quasi obfirmat, atque in *particulari* sæpius, si non ad quævis, ad certa tamen peccata ita determinat, ut datâ occasione ea vel *non*, vel *vix* possit intermittere. Cui unà cum Scriptura Jer. XIII. 23. לְמֻדֵי הָרֵעַ, *docti malefacere*, B. *Luth.* Weil ihr des bösen gewohnet seyd / suum adjecit calculum *Aristoteles*: *Neq; talis*, inquiens (qui crebris actionibus malis jam vitiosum contraxit habitum) *si velit* (voluntate *complacentiæ*) *desinet injustus esse, ac justus fiet* &c. Quod & exemplo *ægri*, morbum quidē incontinenti vitâ sibi sponte attrahentis; deinde autem eum per se curare non valentis; & aliorum venustè declarat L. 3. Nic. c. 5. docens; *ante* contractum habitum vitiosum, virtutis culturam quidem in hominis arbitrio esse sitam; sed *post* eum non item: cùm voluntas à *vitioso habitu* ad malum *determinetur* ita, ut in bonum etiam *civile* actu *efficaci* ferri non possit.

27. Unde ita 2. concludimus: Si in *civilibus* circa objectum aliquod particulare, *distinctè* cognitum voluntas habere potest actum *simplicis complacentiæ*, nec tamen in illud tendere actu *efficaci*: sequitur voluntatem eodem modo se habere posse circa objectum *spirituale* ita cognitum. *Sequela* procedit *à minori*: quia circa *illa* homini adhuc sunt vires residuæ; circa *hoc* autem nullæ. Sed *prius* est. 2.
E. *Prius* præter modò dicta declarat exemplum v. gr. *helluonis*: hic certè, abdominis licèt mancipium, *temperantiæ* rationem in particulari & *distinctè* cognoscere, imò & ejus, ceu boni cujusdam delectatione, vel *complacentiâ* affici potest; quò minùs tamen ullis motivis ad bonum illud cognitum *efficaciter* appetendum flecti possit; sed potiùs spretis his omnibus, genio semper indulgeat, vitiosus iste habitus *voluntatis* corruptione effecit.

18. Idem jam multò magis circa *spiritualia*, ad quæ tum per *naturam*, tum crebram *peccandi consuetudinem* redditi sunt ineptissimi, hominibus evenit, adeò ut nullis suasoriis ac promissis, pœnis ac minis nullis *ex se* ad meliora flecti possint. Et hinc *Apostolo* gentiles dicuntur ἀπηλγηκότες Eph. IV. 19. *sine sensu doloris viventes, ut leprosi & epileptici, qui sive urantur, sive secentur, nullo tamen dolore afficiuntur, Strig. in h. l. in Sypp.* quiq; vitiorum consuetudine ita occalluerunt, (uti explicat D. *Calixtus* comment. in h. l.) ut nullos ampliùs conscientiæ morsus persentiscant, ad nulla minarum fulmina exhorrescant; sed inconcussi instar trunci aut lapidis, vel (si cum *Poëta* hîc loqui licet) *ac si dura silex, aut stet Marpesia cautes*, persistant.

19. Quam ἀπαλγησίαν Scriptura & elegantissimis, & scopo nostro convenientissimis depingit phrasibus, iisq; *duplicibus*, *partim abstractivis*. Vocat enim *eam* modò σκληρότητα, Rom. II. 5. *duritiem* ex ariditate contractam, molli & laxo oppositam à σκέλλειν *arefacere, exsiccare*; elegantissimâ sanè ad cor hominis translatione, quando id exhausto gratiæ divinæ succo instar luti arescit & obdurescit, not. *B. Meisn. Anthr. sac. d. 9. q. 5. th.* 3. modò σκληροκαρδίαν, Matth. XIX. 8. modò πώρωσιν τῆς καρδίας Eph. IV. 18. *indurationem* cordis, planè duritiei similem, quæ artubus ex labore inducitur, not. *Strig. in c. XI. Rom. Partim concretivis*, cùm appellat cor קשה *durum*, tractari nescium Psal. XCV. 8. Ezech. III. 7. cor שמן *incrassatum, saginatum*, id est stupidum, ad intelligenda spiritualia ineptum. Esa. VI. 10. Matth. XIII. 15. Sicut enim juxta *Physiognomorum* testimonium, cor *obesum* & magnum hebetis & stupidi indicium est ingenii: ita c. l. summa stupiditas notatur. (Aliàs, quod ὡς ἐν παρόδῳ, quomodo Esaias concionibus suis cor Judæorum incrassaverit, alios inter satis exponit D. *Frantz. de Int. Scr. orac. 13. p. m. 201.*) item cor כבד *aggravatum* I. Sam. VI. 6. majoris quasi ponderis mole impeditum, ne se ad Deum erigere queat; ex forma *Piel* R. כבד, quæ significat *aggravare*, vel quoq; in malum *magis intendere*, juxta *Försterum* in Lex. nec non לב האבן *cor lapideum*, Ezech. XI. 19. & לב שמיר *cor in adamantem positum* Zach. VII. 12. Quæ verba sanè [n]otatu sunt dignissima: Sæpiùs quidē *cor* hominis vocatū *lapideum*, [q]uod dum rei exprimendæ vix videbatur sufficiens, ita effertur: *Cor*

suum

suum dispósuerunt, ut lapidem perdiuturnum, qualis est adamas, qui alios omnes facilè frangit ipse illæsus, Hebræis dictus שמיר à R. שמר custodivit, conservavit, lapis quasi *diu servabilis*, juxta *Buxtorf. in Lex.* Hujus *autem causa finalis* addita magis nostro inservit scopo, quæ hæc est: משמוע את התורה *ne audirent legem*, &c. paritq; h. s. sicut adamas, seu lapis quicunq; durissimus non facilè malleo ferreo cedit; sic nec verbi divini malleo, Jer. XXIII. 29. *cor* nostrum *adamantinum*; sed omnia illi molliendo adhibita media, ni Deus id emolliat, nulla sunt, illudq; permanet ἀμετανόητον, Rom. II. 5. Conf. *Tarnov. comm. in h. l. p. m.* 192. Quæ omnes & singulæ, posteriores autem præprimis *loquendi formulæ* totalem voluntatis *agendi* ἀδυναμίαν, non quidem eo, quo *Strigelio* cavillari placuit, sensu *d. Vin. s. 1. p.* 22. ac si *discrimen hominis & bestiarum* sublatum iremus; sed quantum ad objecta *spiritualia* adstruunt, eumq; sententiæ suæ falsissimæ ὀφθαλμοφανερῶς convincunt.

30. Quare ut tandem vel manibus palpet, quî ejus *capacitas*, *aptitudo*, & *modus agendi*; ipsi sæpiùs (& inter alia hisce: *Quanquam voluntas non sine Sp. S. & verbo*; *tamen* suo modo *agit in conversione d. Vin. s. 4. p. 73. & s. 5. p. 93. Monstro* modum agendi, *quo voluntas obtemperat*, &c.) decantata, & ex parte *voluntatis* in nihilum abeant; alia etiã Sc. testimonia ipsi uno intuitu lustranda sistimus. Hæc autem appellat *cor peccatorum colluvie repletum* Matth. XV. 19. vas squaloris plenum; puri quà tale, non est capax liquoris: ita & cor nostrum vas impurissimum: appellat *cor occlusum*, Actor. XVI. 14. & verbo accedenti haud patens: *Satanæ palatium*, hujus satellitibus, nil nisi peccata imperantibus, planè obsessum, nec nisi à fortiori expugnari facile, Matth. XII. 29. Luc. XI. 21. 22. cor *vanum* קרבם הוות Psal. 5. 10. Colligas hinc licet, si potes, *Strigeli*, voluntatis *capacitatem*, *aptitudinem*, & *modum agendi* ad bonum. Ἀνακεφαλ. per testim. I. Scripturæ.

31. Quinimò, quia ille tam rigorosus *capacitatis* ac *aptitudinis* suæ defensor est; *aliam*, prævio universæ S. Sc. testimonio, ei ostendimus. Sicut igitur diabolus est pessimus *cordis* nostri hospes & Dominus, Luc. XI. 21. II. Cor. IV. 4. & II. Timoth. II. 26. (qui locus vel solus ad L. A. vires tollendas judicio B. *Luth. t. 5. Jen. f.* 497. sufficiens, adeoque quà verborum emphasin probè notandus.) ἐζωγρημένους nos vocat: ζωγρεῖν autem est vivum capere, & in servi-

tutem

tatem abducere. *Jam cogita, quàm tristis sit hæc descriptio impiorum, qui mancipia sunt diaboli, quibus* hic *superbissimus spiritus ad omnem turpitudinem abutitur*; commentatur, & quidem rectissimè ipse *Victor. in h. l.*) sicut, *inquam*, ejusmodi cordis dominus est diabolus, perpetuus Dei ἀντίδικος I. Pet. V. 8 ita *cor* nostrum ad nihil aliud, quàm ea, quibus Deo repugnamus, studia stimulat & impellit. Hinc voluntatis nostræ *aptitudo*, *modusq; agendi* bonum est talis: οὐκ ἤθελον, Matth. XXII. 3. ἀμελήσαντες v. 5. &c. Confer quã eundem *agendi modum* Esai. LXV. 2. Rom. X. 21. c. XI. 3. I. Reg. XIX. 10. Esa. XLII. 20. c. XLIV. 18 Jer. IV. 22. ubi sanè verba extant notatu perquàm dignissima: חכמים המה להרע ולהיטיב לא ידעו *sapientes illi sunt ad malefaciendum, at benefacere non noverunt*, ut vertit *Ar. Mont.* c. V. 1. & sq. & 20. 21. c. VI. 10. c. VII. 25. 26. c. VIII. 5. 6. 7. ubi *modus agendi* hominis ne quidem ad brutorum *agendi modum* accedit. c. IX. 3. c. XI. 21. Hic attende *Strig.* Judæorum *agendi modum*, quem circa Jeremiæ conciones, quibus juxta *Te excitati* fuerint, exercuêrunt, dicentes: לא תנבא בשם יהוה *ne vaticineris in nomine Domini.* Hoc, *agendi modò* Judæorum, nostrumq; omnium (similis enim cum illis sumus farinæ Rom. III. 23.) corrupta voluntas *sibi relicta*, in Dei verbo, ejusq; præconibus excipiendis procedit. Adde Jer. XII. 6. c. XIII. 23. c. XVIII. 12. ubi præviæ verbi concioni voluntas tantùm abest, ut *ex se* assentiatur juxta *Strig.* ut potius in faciem contradicat: נואש *desperatum est*: *Luth.* da wird nichts aus; luculentum desperatæ & profligatæ malitiæ suæ edens testimonium. Huc spectant & reliqua *Jeremiæ*, totiusq; S Scr. loca ferè innumera, omnia & singula voluntatis quà *bona* nullum, quà *mala* promptissimum *agendi modum* testantia; ut: Ezech. II. 7. Psal. LVIII. 4. 5. Exod. XXXIII. 3. Deut. XXXII. 5. Psal. LXXVIII. 9. II. Tim. IV. 3. & II. Reg. XVII. 13. 14. &c. adeoq; cum *Strig. capacitate, aptitudine* adversâ fronte pugnantia.

2. Lutheri. 32. Bellum *Strigelii* cum Scriptura (si Diis placet) consensum percepimus: nunc quàm ipsi cum B. *Lut.* conveniat, paucis videbimus. Sic autem vir Dei: *Cor humanum*, inquit, *tam* indomitum *est, ut non possit mutari ullâ vi, non diaboli, non mortis, non ullius mali, quantumvis violenti potentiâ* &c. *Quia voluntas humana est* invicta, & obstinata, *nec ullâ sapientiâ, nec ullis viribus flecti potest, nisi*

vinca-

vincatur bonitate. Comm. in Gen. c. XXXII. item: *t. 3. Lat. f. 153.* ut & : Hiemit/ait, verwerffe und verdamme Ich als eitel **Irthumb** alle Lehre / so unsern freyen Willen preisen / als die stracks wieder die Hülff und Gnade Gottes unsers HErrn JEsu Christi strebet. Denn weil ausser Christo der Todt und die Sünde unser Herr / und der Teufel unser Gott und Fürst ist / kan da **kein Krafft/ noch Macht/ kein Witz noch Verstand** seyn / (arrige aures, *Victorine*, tuamq; *capacitatem & modum agendi* percipe) damit wir zur Gerechtigkeit und Leben uns können **schikken / oder trachten** / sondern müssen verblendt/ und gefangen des Teuffels und der Sünden eigen seyn / zu thun/ was ihnen gefällt/ und **Gott** mit seinen Geboten zu **wieder ist.** *t. 3. Jen. f. 510. & t. 5. f. 297.* Quæ pauca (quî enim hæc charta omnia, quæ *Flacio* colligente in integrum excrevere librum hoc titulo: Warhafftige und beständige Meinung von der Erbsünde und freyen Willen D. Mart. Luthers: ubi videantur, caperet testimonia?) *B. Lutheri* mentem satis declarant, nostramq; hactenus fusiùs disputatam sententiam miris confirmant modis.

33. Hisce itaque sic demonstratis, nemini non, quid homo *totus* ad sui conversionem conferre possit, constabit. Præterquam enim, quòd omne *principium Quod* in agendo suum præsupponat *principium Quo*; hic autem *principium Quo*, animæ sc. gemina potentia deperdita omnes toti homini deneget vires: idem testantur adhuc *alia Scr. loca*, asserentia *partim*, totum hominem ad sui conversionem ne hilum conferre posse; *partim*, eum non nisi malè agere posse. *Illud, impotentiam sc. ad bonum* inculcant loca Matth. XII. 34. Jer. XIII. 24. I. Cor. XII. 3. &c. *Hoc, necessitatem* scil. *immutabilitatis ad malum* indigitant loca Matth. VII. 18. Luc. VI. 43. 44. quæ & intimè naturæ infixa inhæret adeò, ut & ipsos *renatos* nunquam non infestet. Unde sic *argumentari* licet: Si naturæ adeò insidet malum, ut in *renatis* non modò non conetur ad bonum; sed ei perpetuò adversetur; quantò magis in *non-renatis* potiùs adversabitur bono, quàm ad id vel minimum conferat? Sed prius est. E. *Consequentia* est firmissima, & ex B. *Luth.* mente *Achillea*, teste *Schlusf. cat. her. l. 5. p. m. 312.* *Prius* testatur Paulus Rom. VII. 14. 22. & 23. Audiamus testem hunc infallibilem: v. 14. *Lex est spiritualis*: ego autem πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν, venundatus, *raptus in ser-*

Argument. Luth. Achilleum.

vitutem,

vitutem, phrasi mutuata à *captivis*, qui venditi fiebant servi; v. 22 & 23. *Video aliam legem in membris meis* (peccatum inhabitans, ita dictum, quòd instar *legis* homini inevitabiliter imperat, eumq; constringit, quamdiu hic vivit; *not.* B. *Glaß.*) ἀντιστρατευόμενον legi mentis meæ, & αἰχμαλωτίζοντά με sub lege peccati. Ubi *insignibus utitur Metaphoris*, *à re militari ductis*, *ut nobis ante oculos dissidium naturæ depravatæ & legis proponat.* Ut *enim Hannibal infestis signis in Italiam descendit: sic depravata hominum natura* contumaciter repugnat *legi Dei*, *& veritatem in injustitia* qs. captivam *detinet*; ipse idq; pro nobis optimè fatetur *Striget. in hypomn. in h. l.* Quod naturæ corruptæ & mentis sanioris dissidium ex *naturæ lumine* velut umbratili imagine vidit *Arist.* ita ajens: φαίνεται καὶ ἄλλό τι παρὰ τὸν λόγον πεφυκός, ὃ μάχεταί τε καὶ ἀντιτείνει τῷ λόγῳ. Ἀτεχνῶς γὰρ καθάπερ παραλελυμένα τοῦ σώματος μόρια εἰς τὰ δεξιὰ προαιρουμένων κινῆσαι, τοὐναντίον εἰς τὰ ἀριστερὰ παραφέρεται· καὶ ἐπὶ τῆς ψυχῆς οὕτως. *I. Eth c.* 13. Ubi scito *membrorum paralyticorum*, sinistrorsum, cũ dextrorsum deberent, tendentium simili *naturæ & rationis* certamen, quo sc. appetitus sensitivus variorum affectuum prurigine undiquaq; permixtus, in objectum suum, *bonum* scil. *delectabile* feratur ita, ut rationis judicium inordinatis motibus suis anticipet, voluntatemq; ad mala sollicitet; explicans, D. Paulo ferè est ὁμόψηφος; qui & dissidium istud jam renatus satis acriter expertus, verbis deplorat gravissimis c. e. v. 24. Quamobrem collectio nostra firmissimo perstat talo, eò tendens, ut hominem totum omnibus viribus exutum conversioni substernat, eumq; *nihil, nihil* prorsus *ex se*, & propriis viribus naturalibus, in rebus ad conversionem pertinentibus, *instar lapidis, trunci, aut limi inchoare, operari aut cooperari posse* statuminet. vid. *Decl. F. C.* p. 662. Tantùm de *priori* argumentorum classe.

CAPUT III.

De veris conversionis causis.

1. Ad hanc satis vexatam quæstionem eò meliùs expediendam primò illam distinctionem inter *conversionem primam & secundam* hic ex §. 1. probè inculcandam repetimus. Licet enim illic, vix allum, quoad ipsos *conversioni intrinsecos* actus, ut *luctum spiritus*

cum

in carne, diffidentia cum assensu, &c. discrimen inter utramq; consserimus; hîc tamen potissimùm *primam* attendi non diffitemur. ita quæstio huc redeat; *Unde motus isti merè spirituales seu conversioni essentiales dependeant & causentur?*

2. Hanc F. C. *in decl. p. 663.* solvit 1. καθ' ἄρσιν, illos motus L. A. viribus *nec* ex toto, *nec* ex parte ulla; 2. κατὰ θέσιν, in solidum Deo adscribens: quam, & reliquas huc facientes; sc. *Num Sp. S. sit solus conversionis causa* efficiens; *Annon, & quomodo voluntas concurrat* &c. quæstiones comprehensuri, hanc formabimus classicam: *Quænam & quot sint in conversione concurrentes causæ?*

3. Quæ uti Auctores, aliis *tres* causas; *Sp. S., verbum, & voluntatem*; aliis *duas* remotâ ultimâ constituentibus, in diversas rapuit partes: ita nobis ad F. C. ductum pertractanda venit. Ubi nos non immemores istius Aristot. δεῖ τὸ μέσον αἱρεῖσθαι, ὡς ὁ λόγος ὁ ὀρθὸς λέγει, μὴ τὴν ὑπερβολὴν, μήτε τὴν ἔλλειψιν, media, ituri viâ, *voluntatem non*, nisi adhibitâ distinctione, *conversionis causam* statuemus; *nec eam* simpliciter è causarum numero (ut *Strigel.* sæpiùs calumniatur) præmissis tantùm brevissimè duabus causis prioribus, ejiciemus.

4. Ad quæstionem ergò Resp. 1. disting. inter causam *efficientem principalem*, & *instrumentalem*; *illam* Deum, seu Spir. S. solum; *hanc* ejus verbum prædicatum & auditum constituentes.

5. *Principalem* esse 1. *Deum*, omnia testantur loca, in quibus dicitur nos *circumcidere*, Deut. XXX. 6. corde intelligente donare, Deut. XXIX. 4. convertere, I. Reg. XVIII. 37. Jer. XXXI. 18. Thren. V. 21. cor mundum *creare*, Psal. LI. 12. quod vocabulum est nota virtutis divinæ, not. *Flac. d. Vin. s. 5. p. 90.* cor lapideum *auferre* Ezech. XI. 19. c. XXXVI. 26. *trahere*, Johan. VI. 44. *non vi irresistibili*, sed *vehementi* per media divinitus in hunc finem ordinata *motu*; conf. c. c. v. 65. ubi hic tractionis modus exprimitur. *Tractio* aliàs est 1. vel *propria* & *physica*, necessitantem actionem significans; vel *impropria & moralis*, vehementem moralem persuasionem, & *efficacem motionẽ* (N. B. *efficacem motionem* ob Victorini nudam *suasionem*, inferiùs rejiciendam) *non necessitantem*

Convers. caus. principal. est 1. Deus.

importans; ut Hos. XI. 4. Cant. I. 4. Unde & Syrus hic adhibet verbum דבר, *duxit*. Trahit igitur Pater non tantùm *objectivè*, nobis credenda revelando (quod Strig. nudâ suasione suâ voluit) sed & *effectivè*, mentem illuminando, voluntatem efficaciter flectendo, ac ex *nolente volentem* efficiendo.

6. Addantur hisce: Johan. XV. 5. *Sine* me &c. quod tamen non accipe *privativè*, hoc sensu; licèt vires naturales nihil *absq;* Christo, aliquid tamen *cum* Christo, ejusque auxilio valeant, uti *Strig. d. Vin. s. 2. p. 36.* (utut enim τὸ *Sine* interdum ejusmodi *partialem* admittat sensum; hîc tamen *totalem* innuit, idque ex proximè antecedente *de vite & palmitibus* simili: sicut palmes totus dependet à vite, ut sine hac germinare planè nequeat: ita nos à Christo: quod sæpiùs & rectè urget *Flac. d. Vin. s. 4. p. 71. s. 10. p. 188. & s. 12. p. 221.*) sed *negativè* h. s. quo συνεργεια & coëfficentia in totum nobis derogetur Matth. XI. 27. Johan. VI. 29. Act. V. 31. c. XVI. 14. I. Corinth. XII. 3. II. Corinth. III. 5. c. V. 17. Gal. VI. 15. Ephes. II. 8. & 10. Phil. I. 29. c. II. 13. II. Tim. II. 25. Tit. III. 5. Jac. I. 17. & tandem, quo solo Augustinus convictus dicitur, teste F. C. p. 664. I. Cor. IV. 7. &c.

7. Diximus autem causam principalem Deum, seu Spiritum sanctum. 2. *Solum*, id quod *partim* ex dictis de L. A. omnimoda ἀδυναμία relinquitur, partim ex jam dicendis constabit. Hæc autem *exclusiva* non excludit I. *reliquas Deitatis personas*, quippe quod nec requirit, nec ipsa conversio, ut *opus ad extra* admittit: sed eas subintelligit, duce S. Scr. assignante conversionem *Patri* Johan. VI. 44. Matth. XVI. 17. *Filio*. Matth. XXIII. 37. & *Spiritui sancto*. Genes. VI. 3. Johan. XVI. 8. seq. Nec eo tres divinitatis personas; uti non alibi, ita hic facimus *conversionis causas socias*, utpote quæ non tantùm plures causas; tanquam *principia Quæ*; sed etiam plures rationes causandi, tanquam *principia Quibus* important. Cùm autem personæ divinæ *non* per *aliam* atque *aliam*, sed per *unam & eandemq;* planè indivisibilem potentiam operentur, ita ut ob potentiæ identitatem, quæ in qualibet personâ tota est, effectus *totus* dependeat à Patre, *totus* à Filio, & *totus* à Spiritu sancto: hîc *causas socias* non dari constat. Tribuitur autem peculiariter Sp. sancto *conversionis* opus per *appropriationem*, uti loquuntur, quia

2. Solus.

hic

hic se potissimùm in eo manifestavit, ejusque officium est verbo suo, unde & ministerium Spiritus dicitur, II. Corinth. III. & corda convertere. Nec 2. ipsam voluntatis *præsentiam*, (de quo mox pluribus) sed ejus *efficaciam* aut operationem; sicut in *artic. Justif.* non excludit *coëxistentiam*, sed *coëfficientiam* B. O. quemadmodum hoc aliàs *Strigelii* argumentum rectissimè retorsit *Flac. d. Vir. s. 6. p. 118.*

8. *Instrumentalem* (termino non nimis rigorosè accepto) facimus *duplicem* 1. *ministerialem*, quæ sunt ministri Ecclesiæ, verbum Dei prædicantes; dicti inde Dei συνεργοὶ I. Corinth. III. 9. *non* quòd *propriâ virtute* in conversionem influant, sed quòd per verbum in homine convertendo, instar agricolarum operentur; ita ut conversio, eorum ministerio facta, *nequaquam* illis, sed soli Deo, per verbum interiùs *incrementum danti* accepta sit ferenda, conf. v. 5. 6. 7. quod non saltem *comparativè*, ut *Strig.* vult *in hypom. in h. l.* sed *absolutè* verum est. Unde & Apostolus Corinthios vocat ἔργον *suum* I. Corinth. IX. 1. *filios suos* I. Corinth. IV. 15. quos *se genuisse* dicit 1. *in Christo Jesu*. *Christus* ergò genuit per Pauli ministerium, ut causa *principalis*, interiùs per verbum operando Jac. I. 18. *Paulus* autem, ut causa *ministerialis*, verbum prædicando. Dicit 2. *per Evangelium*. Unde desumimus 2. nostram causam *instrumentalem* strictè dictam, scil. verbum Dei: Spir. S. enim non ἀμέσως, sed ἐμμέσως conversionem operatur. Hinc credentes dicuntur *renati ex semine immortali* διὰ λόγου ζῶντος θεοῦ. I. Pet. I. 23 & Deus dicitur salvare *per stultitiam prædicationis*, seu stultam (coram ratione humana) prædicationem, juxta Hebraism. I. Corinth. I. 21. Conf. Rom. X. 17. Johan. XVII. 20. Actor. XI. 14. Ergò verbo *sive* lecto, *sive* audito intellectui sese ingerente, simul *cum* eo, & *per* illud Sp. S. operatur, fidemq; in intellectu accendit. Unde Paulus: *Evangelium nostrum*, inquit, *fuit erga vos*, οὐκ ἐν λόγῳ μόνον (non modò in sermone, blandis verborum lenociniis, quibus tantùm aërem atq; aures impleremus) ἀλλὰ καὶ ἐν δυνάμει, καὶ ἐν πνεύματι ἁγίῳ *in potentia* & Sp. S. i. e. in potente & efficaci Sp. S. operatione, nobis extrinsecus verba facientibus, intrinsecè in animis vestris operantis, I. Thess. I. 5. ideoq; Deo gratias agit ἀδιαλείπτως, c. II. 13. Quæ, ut h. l. non adeò controversa, uberiùs non deducimus.

Instrumentalis.

1.

2.

9. Verùm his *duabus* conversionis caussis *Strigel.* adjungit *tertiam, voluntatem*: unde rei cardo in hoc vertitur: *An & voluntas non renati ad conversionem concurrat* ita, *ut tertia conversionis caussa sit statuenda? Affirmat Strigelius* ita, ut hanc faciat verbi comitem *languidum*, valeatq; de ea illud Poëtæ: *sequitur patrem non passibus æquis, d. Vin. f. 6 p. 110* & passim: nos *distinctione* Resp. Causæ *vel* sunt *ejusdem*, vel *diversi generis*: *illæ* sunt omnes *efficientes*, omnes *materiales, &c.* non obstante *diversitate ordinis*, quâ altera *propinqua*, altera *remota*; altera *universalis*, *particularis* altera: *hæ* sunt, quarum altera est *efficiens*, altera *materialis*, &c. quod ex *Metaphysicis* constat. Jam de caussis *ejusdem generis* loquendo h. s. quod sicut Sp. S. & verbum sunt causæ *efficientes*, ita & voluntas sit *talis*; licèt inefficacior; *negamus* quæstionem. Si enim de caussa *efficiente*, sive *quovis modo* agente, aut operante, aut cooperante loquaris, tum rectissimè voluntas ex censu causarum conversionis excluditur, quippe quæ ad omne bonum *mortua* & ineptissima. Sin autem de caussis *diversi generis* agas; voluntatem etiam hisce accensendam, adeoq; *tres conversionis caussas* habendas esse, *non negamus*, has sc. Sp. S. *efficientem principalem*; verbum sive nudum s. vestitum *organicam & instrumentalem*; & voluntatem ut *subjectivam*, ac ut

Materialis. quidam loquuntur, *materialem*.

10. Probatur *ultimum*: Voluntas non renati habet se in conversione ut *subjectum patiens*, seu recipiens formam. E. eadem *non* potest esse istius formæ *causa efficiens*. *Major*, hoc non obstante, causas posse coincidere, de quo *B. Stahl. in reg. Phil.* nobis h. l. judicatur firma: *Minor*: Cor & voluntas est per lapsum corrupta. E. & per conversionem restauratur, & sic per consequens in conversione non ut *causa efficiens*, sed tantum ut *subjectum patiens*, sive convertendum se habere potest. Quod ne absq; Scr. dixisse videamur, audiamus eam, & quidem: Esai. XLV. 9. c. LXIV. 8. Jerem. XVIII. 8. Rom. IX. 21. nos cum *luto* comparantem. In quod simile B. *Luth.* ita commentatur: *Quid, obsecro*, activitatis *habet lutum, quando figulus formam ei affingit? Nonne* mera passio *ibi cernitur, quâ tamen proficit de sua deformitate in formam similem artificis ideæ. t. 2. Lat. Jen. f. 61.* Quo quid pro sententia nostra clarius dici poterit?

11. Sic

11\. Sic igitur voluntas ad sui conversionem *concurrit*, & *non concurrit*. *Concurrit*, si ipsam per se δύναμιν ἐνεργητικὴν spectes, quæ tanquam animæ potentia nunquam aboletur; sed est *conversionis subjectum*, in quo Sp. S. operatur. *Non concurrit*, si eam consideres ut causam vel *efficientem*, vel *instrumentalem*, vel *adjuvantem*, &c. Siquidem in conversione voluntas est merè παθητικόν τι, quod nihil magis ad sui conversionem facere potest, ac cadaver ad sui resuscitationem; docente *Hutt. expl. F. C. p. m. 181.* Infinitis igitur adhuc à *Strigelio* distamus parasangis, qui voluntatem *causam cooperantem*, quæ prædicato Evangelio *ex se ipsâ languidè* assentiatur, statuit; id quod innumera sua ipsius testimonia evincunt. Sic enim: *Ego*, inquit, *vim assentiendi nunquam adscripsi, neq; adscribo homini ante conversionem*, sed dixi *voluntatem* adjutam *à Sp. S. posse* aliquo modo, *quanquam* languidè, *& satis parum credere*, *d. Vin. f. 10. p. 190. & f. 11. p. 193. & 194. f. 12. p. 226. & f. 8. p. 156. non dico, voluntatem esse causam, nisi quatenus adjuvatur, regitur, ducitur à Sp. S.* &c.

12\. Totum autem hoc negotium magis explanabit *conversionis modus*, de quo igitur tenendum, quod, sicut duæ sunt *ex parte hominis convertendi* animæ facultates, in quibus conversio recipitur, *intellectus* scil. & *voluntas*: ita Sp. S. ut causa *principalis* per verbum (prædicatum, *sive* lectum) tanquam *organon*, seu ut Dd. locuti sunt, ὄχημα suum, hominem convertat, agens & in *intellectum*, eum illuminando Eph. I. 17. 18. II. Cor. IV. 6. & in *voluntatem*, rerum spiritualium bonitate ipsi, mediante intellectu illuminato, exhibitâ, pios & spirituales motus in ipsa accendendo, Phil. II. 13. *Convers. modus, ad quem spectat gratia*

13\. Unde cùm conversio (*ordinaria sc.*) primùm inchoatur (hanc enim *non* esse actionem *instantaneam*, cujus terminus, *habitualis* gratia, unico instanti *simul* totus; sed *successivam*, quâ ille per actus spirituales repertitos in convertendi voluntatem *successivè* introducatur, intrepidè asserimus) in *mente* sancta de rebus divinis *cogitatio*, cum *voluntatis* pio illas acquirendi *desiderio* excitatur. Quale conversionis exordium *Lydiæ* dicitur *apertio cordis* Act. XVI. 14. sita non tantùm in quodam audiendi sermonis Paulini desiderio (hoc n. & in *non renatos* cadere, superiora fusiùs probarunt) sed potiùs in inspiratâ *sancta* de fidei mysteriis *cogitatione*, conjunctâ cum spiritualium *desiderio*, eam ad majorem attentionem, melioremq; creden-

credendorum perceptionem magis magisq; impellente. Et hæc *prima* bonorum motuum *excitatio* est nihil aliud, quàm *gratia* (dicta
1. *Præveniens.* Auctoribus) *præveniens*, quæ primam illam interiorem Sp. S. operationem, quâ verbo hominis convertendi arbitrium, *menti* sanctas cogitationes, *voluntati* pia desideria inspirando, antevertit, significat. Cùm autem hisce piis motibus caro rebellis gravissima dubia opponere statim incipiat; hoc solo conversio non absolvitur: sed Sp. S. gratiæ accensæ scintillam, ne exortis dubitationum procellis extinguatur, *ulterius fovet*, subinde novos motus excitat, atque ita eam medias inter dubitationes, carnisq; luctam sustentat, corroborat, auget, usque dum illius *gratiæ virtute* voluntas & promptiùs in spiritualia tendat, & intellectum ad fidei assensum determinet
2. *Præparans.* efficaciùs. Idq; est *gratia præparans*, quâ homo ulteriùs movetur, ut vocationi paulatim consentire, & è dubitationibus eluctari incipiat. Et hucusq; conversionis *initium*.

14. Quandoquidem verò hoc desiderio, & bono proposito conversionis *progressus* nondum fieri possit, nec in nostra sit potestate, voluntatem mutare in melius, sed Deus operetur τὸ θέλειν,
3. *Operans.* Phil. II. 13. succedit *gratia operans*, quæ *sine nobis*, id est, *sine nostro* consensu *in nobis* operatur velle spirituale, quæq; cœptum conversionis opus continuat, hominem, adhuc languido conatu spiritualia desiderantem sustentando, movendo, flectendo, & pleniori assensu imbuendo. Diciturq; *operans*, *non* quòd voluntas Sp. S. sic operanti planè *nihil cooperetur*; sed quòd vires illæ *spirituales*, quibus Spiritui S. voluntas *cooperari* incipit, adeò sint infirmæ, ut ista voluntatis cooperatio *nondum* tam *ipsi*, qualibuscunq; viribus novis donatæ *voluntati*, quam *actuali* Spiritus sancti *operationi* adscribenda veniat.

15. Sed quia deniq; retrahente manum suam Domino, homo ne ad momentum quidem in bono perseverare posset, *Decl. F.C. p. 674.* hinc & *post* novas vires donatas Spir. S. non desinit in nobis operari, sed operatur & τὸ ἐνεργεῖν, *perficere*, Phil. II. 13. Operatur autem ita, ut & voluntati suum concedat concursum: quippe quæ jam acceptâ gratiâ seipsam determinat ad actus & res spirituales, quas antè aversabatur. Seu clariùs: voluntati *per gratiam* sic agenti adest Sp. S. eiq; *cooperatur*, vires datas conservando, & ne defi-

deficiamus, clementer juvando; quæ est *gratia cooperans*. Hæc autem gratiæ distinctio *non* est ita accipienda; ac si *diversæ* gratiæ divinæ *species* sint; sed quòd quoad rem *unus actus* sit, saltem quantum *ad gradus* in agendi modo diversus. *4. Cooperans.*

16. Unde elucescit, quòd non nostræ partes priores sint in conversione; sed quòd & *initium* & totus ejus *progressus* in solidum sit adscribendus Spir. S. qui verbi sui auditorem primùm prævenit, ejusq; voluntatem movet, ut sub initio ea quasi fluctuet & pendeat, cum carne luctari incipiat, *& in duas partes scindatur*, ut ait *Heshus. de serv. arb. f. m. 33.* deinde autem se ad actus spirituales determinet. Post hunc autem *divinitus factum* voluntatis motum voluntas assentitur, & fit συνεργὸς Dei, ajente *B. Chemn. L. C. d. L. A. c. 7.* idq; omne *non ex suis* propriis, sed *supernaturalibus*, & à Sp. S. acceptis viribus. vid. pluribus de hisce præprimis *Pl. Rev. D. D. Musæum de Conv. d. 5.* §. 30. *seq. B. Chemnit, c. l. Hutt. in* LL. p. 285. & in *expl.* F. C. p. 180. 183. &c.

17. Sed quæras fortè: *Annon* ex modò dictis *Sp. S. & voluntas* conversionis, *saltem in* progressu *spectata*, causæ partiales *fiant, ita ut hæc licèt non* ex toto, ex parte *tamen in conversionem influat?* Resp. 1. *partim* per *distinct.* Quælibet *actio* seu motus *spiritualis*, adeoq; & *conversio* potest spectari *dupliciter*: *vel* quoad *esse* suum *genericum, & naturæ*, quatenus est actus aliquis vitalis; *vel* quoad *specificum* & *moris*, quatenus est *talis* actio sive *spiritualis* s. *supernaturalis*. *Partim* per *definit. causæ partialis*, quæ hæc est: quòd sit causa *influens propriâ virtute in effectum, concurrente simul aliâ causâ ejusdem ordinis in eodem genere*, ut equus cum altero trahens currum. Jam 2. *priori* respectu, uti non aliarum actionum humanarum; ita *nec conversionis* Deus & voluntas fiunt causæ *partiales*. *Ratio*: quia ab utroq; quidem *efficienter* illa dependet, sed à causis *diversi ordinis*: h. m. pendet à Deo ut causa *prima* & *universali*; à voluntate, ut *secunda* & *particulari*. *Posteriori* respectu autē Sp. S. quidem cum voluntate ad conversionē concurrit, ita tamen, ut determinatio motûs hujus ad esse *specificum* seu *spirituale* non à voluntate, sed *speciali* Sp. S. *concursu* dependeat. Voluntas igitur in conversionem quà esse ejus *specificum* influit non *propriâ*, sed Sp. S virtute. Vis enim ejus activa hîc concurrens, non est ita voluntati propria, ut *aliâ* virtute Spir. S., voluntas *aliâ* influat; quod ad causas *par-*

tiales requiritur: sed *totus* hic *actus*, quoad esse *supernaturale* est à Spir. S. respectu *actus primi*, seu *virtutis agendi*; & sic solus Spir. S. est conversionis tam *continuatæ*, quàm *inchoatæ* causa. Voluntas verò est causa respectu *actus secundi*, seu *exercitii*, vel *actuum* conversionis *subsequentium*, quia voluntas illos exercet, sed *viribus* à Sp. S. *acceptis*, quippe per quas unicè ad spiritualia se determinat.

18. Quare *conversionis modus* non est planè *insensitivus*, ut sigilli in cera impressio; nec *brutus*, ut asinæ Bileami locutio, Num. XXII. 28. neq; *violentus*, ut lapidis projectio, sed ratione modò expositâ comparatus. Dicitur autem 1. *non insensitivus*, *nec brutus*, de quo vid. B. Chemn. c. l. c. 7. Nullus E. est *Strigelius*, sæpiùs urgens: *Regeneratio non fit sine* propriâ cogitatione *verbi*, & *non sine* motu voluntatis, *d. Vin. s.* 3. Nam & nos *aliquem* voluntatis *motum* concedimus, sed hujus *originem* quærimus: hanc *Strigelius modum agendi* voluntati *ex se* competentem; nos Sp. S. gratiam esse asserimus. Unde *Illyricus*: *Deus*, ait, *nos convertit intelligentes*, & volentes, *sed* volentes *non ex veteri Adamo*, *sed* donato bono velle. *s.* 4. *p.* 74. Non igitur homo in sui conversione nesciens est, sed Spir. S. eum ita illuminat, *ut sciat*, *quid secum agatur*, & *agenti Sp. S. consentiat. Hutt. in LL. l. c. Conf. B. Chemn. Ex. C. T. p. m.* 212.

Conversi. modus non est 1. insensitivus.

19. Verùm hîc nobis vellicat aurem *Strigel.* dicens: se, nobis, conversionem non sine voluntatis motu fieri, asserentibus, idem velle, palmamq; hoc ipso jam obtinuisse. *Nam Sp. S.* ait, *non est efficax in homine, tanquam* in trunco *nihil agente*, & purè passivè; *sed ita hominem trahit, ac convertit*, *ut aliquam velit esse* voluntatis actionem, *quæ suam efficaciam* comitetur. *d. Vin. s.* 12. *p.* 226. Ad quod porrò, phrasium: τὸ *habere se purè passivè*, & *instar trunci*; sensum eruentes respondemus.

Explicantur phrases: Habere se 1. purè passivè.

20. Quando igitur quæritur: *An homo in sui conversione se purè passivè habeat*: Resp. id intelligi posse *dupliciter*, 1. *absolutè* & *simpliciter*, ut neget *omnem omninò activitatem* & operationem, qualiscunq; illa sit, & à quocunq; principio seu *naturali*, seu *supernaturali* fluat h. s. ac si Sp. S. ita operetur conversionem, ut in voluntate renovari cœptâ nulli omninò dentur novi motus; sed ea *planè* sit otiosa & iners & tantùm brutâ agitatione percellatur, quod *B. Luthero* auctori l. *de Ser. Arb.* & *c.* 2. *in Gen.* teste *Hutt. expl. F. C.*

Et

& Chemn. Exa. C. T. p. 227. nunquam venit in mentem. Nemo enim negat, in hominem convertendum cadere *actus* 1. *externæ pædagogiæ*, ut: arrigere aures, &c. 2. *gratia repugnantes*, ut variæ dubitationes. 3. *spirituales*, quibus incipiat carni reluctari, spiritualia sanctè perpendere & desiderare. Hos omnes ut neget hæc phrasis, sic non accipitur. Sed 2. *secundum quid & certo respectu*.

21. Quo modo voluntas convertendi considerari potest *dupliciter*: in ordine 1. *ad Sp. S. gratiam & operationem*, seu motuum spiritualium *principium & actum primum*; & 2. ad *actus*, vires novas *subsequentes*, seu eorundem *exercitium & actum secundum*, ut credere, velle bonum, odisse malum. *Priori* respectu voluntas se habet *purè passivè* h. s. quòd, quando Sp. S. per verbum in voluntatem agit, vires spirituales restituendo; tum voluntas *ex se*, *suisq; viribus nihil* possit cooperari. *Posteriori* respectu *activè* se habet voluntas, & operatur cum Sp. S. etiam quoad actuum horum *esse spirituale*: verùm *non ex suis* (quod *Strigel.* vult) sed *ex Sp. S.* viribus, ut ita *principium*, *Quod* credit, spiritualia intelligit, vel desiderat, sit homo, vel voluntas; *principium* autem, *Quo* voluntas ad hos actus *spiritualiter* bonos se determinet, sit non hominis natura, sed vires donatæ.

22. Quod & *Augustin. l. de Gr. & L. A. c.* 16. sic brevissimè expressit: *Certum est nos velle, cùm volumus, sed* ille facit, ut velimus *bonum*. Dicit 1. *nos velle, cum volumus*; innuens, quòd homo quando vult, *ad actum volendi* se habeat *activè*. 2. *Ille facit, ut velimus*, eo, quòd voluntas *per se* ad bonum spirituale desiderandum inepta, præparatione indigeat, & sic se *passivè* habeat, significans. Ergò *breviter*: Hæc phrasis: *purè passivè se habere* non negat 1. *actus repugnandi*, quippe qui voluntatis habitudinem *purè passivam* non tollunt, id quod patet *exemplo*. *Aqua v. gr.* in sui calefactione, quatenus non habet vires calorem in se producendi, sed ab igne tantùm recipit, dicitur se habere *purè passivè*; & tamen, quatenus vi frigiditatis nativæ calori introducendo resistit, & in ignem rursum agit, *activè* se habere dicitur, sed ad *alium* effectum, scil. frigefactionem: ita voluntas peccato ad malum determinata, in quantum Spir. S. ad bonum eam flectenti repugnat, *activè* se quidem habet; verùm non ad conversionis productionem, sed ejus remotionem.

Nec 2. *actus externæ pædagogiæ*; nec 3. *exercitium actuum spiritualium*: sed tantùm *vires naturales*, quibus voluntas motus illos *spirituales* elicere, suiq; conversionem intrinsecè vel inchoare vel consummare possit, removet. Conf. *D. D. Musæus in præl. in A. C. art. 18. §. 21. & F. C. p. 680.*

23. Sed dubites forsan, cùm voluntati respectu actuum *spiritualium subsequentium* aliqua sit activitas concessa §. 21. *num ad solos illos actus* (differentiæ gratiâ hîc dicendos) completos, ut: *credere, velle bonum* &c. *an verò etiam ad* inchoatos, *qui hos præcedunt, diciq; possunt: bonus conatus, desiderium, meditatio, hæc voluntatis* activitas *sit extendenda*? Ad quod Resp. *disting.* Actus illi *inchoati*, seu boni motus spectari possunt *dupliciter*: *vel* quoad *primam productionem*; *vel* quoad *continuationem & exercitium*: *priori* respectu circa hos voluntati *nulla* competit *actio*, ut constat ex dictis. Conf. *B. Chemn. Ex. C. T. p. m.* 218. dicens: *ad* primam *horum effectionem mens & voluntas* effectivè nihil *conferunt* &c. *posteriori* circa eosdem aliqua actio illi conceditur, teste eodem *B. Chemn. c. l. tunc* nec *mens*, nec *voluntas est* otiosa, &c. Eo ipso enim, quo meditatur mens, conatur voluntas, *agunt*, quamvis *languidè* & ex viribus *supernaturalibus*. Vid. F. C. *decl. p. 674.*

m. Instar trunci. 24. Ex quibus, quid de *altera* phrasi: *instar trunci se habere*, sit sentiendum facilè liquet. Et hæc n. potest intelligi *dupliciter* 1. *absolutè*, ac si homo per omnia instar *ἀλόγȣ trunci* sit, qui quasi nesciens & otiosus violenter convertatur; quo sensu falsissima est. Maximam enim *inter truncum* & *hominem* etiam *quoad hoc* negotium differentiam concedimus: *truncus* caret potentiâ verbum audiendi, & sic conversionis medio; *homo* non: adeoq; *truncus*, ut *inhabile conversionis subjectum* destituitur *idoneitatè* tum *passivâ*, quoad conversionis receptionem; tum *activâ*, quoad mediorum usurpationem. *Trunco* inest potentia *purè passiva* impressam formam recipiendi; homini *activa & passiva* simul, ut ita in his, &c. *homo & truncus* valde discrepent. Conf. *B. Meisn. anthr. sac. dec. 3. d. 22. q. 3. §. 26. seq. Confut. Theol. Saxon. Hesbus. d. serv. arb. f. 35. Schluss. cat. hær. l. 5. p. 557. & 622. & passim*, &c. 2. *respectivè*, respectu scil. *δυνάμεως*, quâ conversio inchoari & effici potest, quo *homo trunco* simillimus est, quòd 1. æquè parum *ex se* in rebus fidei, ac *truncus* in-

telli-

telligat. 2. æquè ac hic *nihil* ad sui efformationem, *ille nihil* ad conversionem conferat; sed 3. uterque *aquè passivè* se habeat. Et hoc, non alio sensu cum *B. Luth.* (in Psal. 99. comment. *In spiritualibus homo non renatus habet se instar* statuæ salis, *in quam est conversa Lothi conjux, imò instar* trunci, *lapidis & imaginis mortua*) Orthodoxi hac phrasi utuntur.

25. Et sic intellecta, nihil habet incommodi: quam & S. Scr. toties, quoties meminit לב האבן *cordis lapidei* Ezech. XI. 19. & c. XXXVI. 26. tacitè indicat: imò ipsa ad *trunci* similitudinem alludit Hos. VI. 5. חצבתי בנביאים *succidi in Prophetis*; *Luther.* Ich hobele sie durch die Propheten. Ubi Metaph. est elegantissima, desumpta *vel à lapicida*, lapides instrumentis suis æquante, & incisos ædificiis aptante, uti חצב extat II. Reg. XII. 12. & alibi *vel à fabro lignario* (*ut B. Luth.*) dolabrâ ligna poliente, nodosq; tollente, ut I. Reg. V. 15. Jam *sive* significatio R. חצב *prior*, quâ homines *lapidibus* impolitis comparantur, conf. Ezech. l. c. *sive posterior*, quâ *arboribus* & lignis, conf. Ps. I. 3. &c. assumatur; nostram phrasin textus egregiè confirmat, dicens: quòd, sicut aliàs duro nodo durus quærendus cuneus; ita & Deus dolabrâ verbi vitia protuberantia in peccatoribus tollat, crebris monitis, minisq; legalibus eos perterrefaciens, spiritualiterq; occidens. Unde hominem corde esse *vel saxeum*, malleoq; legis conterendum Jer. XXIII. 29. *vel ligneum*, verboq; Dei ceu dolabrâ quâ asperitatem levigandum, Esa. XL. 4. Luc. III. 5. relinquitur. Conf. *Tarnov. comm. in h. l. p. m. 198.*

26. *Truncus* igitur, imò caudex, stipes, & quidvis horum sit oportet *Strigelius*, quando hoc *trunci simile* ultra *tertium* suum malitiosè extendens, sæpiùs ingeminat: *Sp. S. non est in homine efficax, tanquam in trunco*: quo manifestam *fallac*: à D. S. Q. ad D. S. committit, satisq; nos hîc nihil monstri alere, perspicit. Quin, si scapham scapham dicere licet, hominem non modò *trunco* similem; sed & eo *deteriorem* pronunciare possumus; idq; ob *repugnantiam*. *Truncus* enim artifici suo non repugnat, sed tantùm patitur; homo autem Deo. Vid. *Flac. d. Vin. s. 1. p. 27.*

27. Quandoquidem v. §. 18. conversionis *modus* dicebatur *2. non violentus*; hic autem *repugnantiæ*, ejusq; talis, quæ homini ne- *2. Violentus.* *3. Repugnanter.*

 cessa-

cessario competit, mentio fit: videtur sequi, *aut* neminem converti, *aut* conversionem esse *violentam*; uti *Victor.* colligit *d. Vin. f. 5. p. 106.* Sed Resp. *Repugnantia* pro *duplici* objecto est *duplex*. 1. *Externæ pædagogiæ*, consistens in *actibus*, legitimo conversionis *mediorum usui* oppositis; eaq; est *vel directa*, cùm quis ex proæresi *vel* verbum Dei contemnit, *vel* Sp. S. in verbo per ministros loquenti in faciem contradicit, ut *auditores Jeremiæ* c. XI. 21. c. XVIII. 11. & 12. *vel* doctrinam divinam odio plusquàm Vatiniano prosequitur, ut *Judæi* Act. VII. 51. c. XIII. 45. &c. *vel indirecta*, cum quis de salute suâ parùm sollicitus, auditum verbi *vel* negligit, *vel* id non satis attentè audit, ut ager propè viam Matth. XIII. 19. 2. *Conversionis ipsius*, consistens in *actibus*, *ipsi* Sp. S. *gratiæ*, interiùs per verbum operanti, oppositis: & hæc est *vel connata*, sita in actibus, qui ex corrupta natura, *necessitate* quadam (*immutabilitatis*) emanant, ita ut illos homo intermittere non posit; ut: *carnis & spiritus pugnæ*, *carnis ad mundana illecebræ*, *de Deo*, *ejusq; verbo dubitationes*, &c. *Vel contracta*, posita in actibus, qui crebrò repetiti habitum genuerunt, ut *luxuries*, *avaritia* &c. quibus qui deditus sæpius conversioni repugnat, ut juvenis dives Matth. XIX 22. amore nummorum ita captus, ut, licèt de salute sollicitus, tamen præ avaritia animæ potius, quàm bonorum jacturam facere eligeret.

28. Ex hisce ad hanc phrasin: *hominem in conversione sui se habere repugnanter*; rectè intelligendam concludimus

1. *In conversione* extrordinaria *hominem* repugnantem *converti posse, non implicat.* Probat hoc suo exemplo *Saulus*, minas & necem spirans, conversus Actor. IX. 1. Sed de *hac* conversione h. l. non agitur.

2. *In conversione* ordinaria *hominem repugnantem repugnantiâ* connatâ *converti, certum est.* Patet ex dictis: Si enim necessitate quadam ex corrupta natura per se actus repugnantes emanant: sequitur, *semper*, adeoque & in ipsa conversione eos exsurgere, & sic *hominem repugnantem converti*. Quæ repugnantia in conversione à gratia, magis magisq; accrescente superatur, & tollitur, ut ex repugnante fiat consentiens, ex *nolente volens* homo, condelectetur lege Dei *non coactus*, aut invitus, sed κατὰ ἑκούσιον Philem. v. 14. Rom. VII. 18. Et h. m. phrasis hæc est verissima.

3. *In*

3. *In conversione ordinaria hominem repugnantē repugnantiâ externæ pædagogiæ, & sponte contractâ converti, falsum est.* Dicitur 1. *repugnantiâ externæ pædagogiæ*, quod probatur ita: Hoc modo repugnans spernit media & organon conversionis ordinariæ. E. nō potest h. m. converti. Deus in conversione ordinaria *non nisi per verbū* operari vult, Rom. X. 17. requiritq; ut convertendus illud audiat, & meditetur. Quæ uti *non renatus* præstare potest, vid. *sect.* 1. ita evincunt, hujusmodi *repugnantiam* s. *directam* s. *indirectam* esse *voluntariam*, & in potestate exercentis ita, ut, si vel et, eam posset non exercere. 2. *repugnantiâ, sponte contractâ*, quæ patet exemplo juvenis Matth. XIX. 22. Hujusmodi enim liberè repugnat, & licet ex sponte contracta malitia jam habitum repugnandi sibi induxerit, ut jam non possit non repugnare, conf. *s. 2. c. §. 26.* hæc tamen repugnantia, utut jam sit *invincibilis in se*, *non* est tamen *invincibilis in sua causa*: id est, ipse in causa est, cur ita repugnet, quippe qui voluntatis obstinationem diuturnâ peccandi consuetudine sibi attraxit. Qui igitur tali modo Sp. S. repugnant, illi *qua tales*, ordinariè non convertuntur; sed quando convertuntur, hoc respectu volentes convertuntur, *volentes donato bono velle*; *Illyr. d. Vin. f. 4. p. 74.* Quia autem non omnes, *eum in modum* repugnant, & qui sic repugnant, id liberè faciunt, possuntq; etiam *non repugnare*, patet, dilemma §. 27. non procedere, quod tantùm de *hac* repugnantiâ, non de connatâ loquitur. *Conf. Pl. Rev. D. D. Museus d. 2. §. 61.*

29. Quæ sic exposita facilè ostendunt, quid *Strigelii* argumentatio in recessu habeat, ita colligentis: *Aut necesse est tribui voluntati adjutæ aliquem assensum, nutum,* Jawort: *aut motum extremè repugnantem & contradictorium. Sed nulla potest fieri conversio, quamdiu voluntas* omninò *repugnat: quia non possunt esse contradictorii motus in eodem subjecto. E. necesse est voluntati adjutæ aliquem motum tribui d. Vin. f. 5. p. 107.* in forma h. m. Assensio & extrema repugnantia sunt motus contradictorii. E. non possunt esse in eodem subjecto. Resp. 1. ad *Majorem*: hæc simpliciter intellecta de *quocunq;* motu, adeoq; & *locali*, forsan premeretur instantiâ *de motu communi & proprio ex Astronomicis*. Sed quia h. l. nihil ad nos, hæc non urgemus. Sin autem de *alia* motus specie *alteratione* loquatur, ejus universalitatē infringit cùm *Philosophia* exemplo *contrariorum*;

tum

tum ipsa *Theologia* exemplo Pauli *renati*, contradictorios in se sentientis motus Rom. VII. 21. Imò hæc Major *absolutè* si vera esset, veterem Adamum è renato funditus extirparet, contra Gal. V. 17. 2. ad *Minorem*: *Strigel.* vocem *extremæ repugnantiæ aut* sumit (liceat distinctionis ergò sic loqui) *positivè*, h. s. ut *repugnantiam* in summo intensionis gradu ponat, loquaturq; de *repugnantia externæ pædagogiæ* & *sponte contracta*; & sic concedimus totum, scil. ejusmodi repugnantium cum vera conversione subsistere non posse, vi *concl. 3.* aut *privativè* h. s. ut *repugnantia* dicatur *extrema*, quòd *omni* assensu, sive *connato*, sive *donato* subjectum, in quo est, privet. Jam de assensu *connato*, conceditur *Minor*, quia nos nec hunc asserimus; sed de *donato* negatur ex Rom. VII. 21. Conf. *Flac. d. Vin. c. l.* Et hæc de *thesi*, sequitur de *antithesi*.

SECTIO III.

ΑΝΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ.

1. Restat, ut ea, quibus *Strigelius* dogma suum confirmatum ivit, argumenta paucis videamus. Illa autem sunt *duplicia*, deprompta 1. ex *Scriptura*. 2. *ratione*.

Objectiones. 1. ex Scriptura.

2. *Priora* numero quidem magna, pondere autem parva, observatis certis regulis, diluta exhibebuntur; quas inter esto

Reg. 1. *Sicut discernendi sunt* non renati, & renati; *ita dicta de utrisq; loquentia.* Dantur enim plurima, quæ non de *illis*, & Spir. S. primitiis; sed de *his*, & Sp. S. donorum incremento, *vel* planè alia materia loquuntur. Frustra igitur nobis objiciuntur loca *Luc.* XI. 13. *αἰτοῦσιν*. E. cooperantibus Resp. N. V. C. Christus n. alloquitur hîc discipulos, gaudentes Patre cœlesti. E. *renatos*: hosce in precum fiducia perseverantes, de futuris donorum incrementis certiores reddit. E. *renatos*. *Irregeniti* enim ne semel invocare possunt, Rom. X. 14. nec absq; Sp. S. preces Deo acceptæ sunt, Zach XII. 10. *Item Actor.* V. 32. *πειθαρχοῦσιν*, *obedientibus*. Resp. 1. Posito, h. l. *communem* Sp. S. *donationem* intelligi, agitur de *regenitis*, quotidiè à Deo, Sp. S. suo magis exornandis. Nec aliter esse potest, nisi eâdem operâ Pelagianismum reducere velis: *πειθαρχία* est spontanea sine simulatione & coactione, *expon. Vict. in h. l.* obedientia, quam

dum

dum *ante* Sp. S. in voluntate is urget, verè *Pelagianus* evadit. 2. hic propriè de *visibili Sp. S. exhibitione* agitur, diciturq; , hanc non nisi pœnitentibus obtingere. *Itidem* I. *Cor*. XV. 10. σὺν ἐμοί. Resp. Est cum Paulo *renato*, qui sibi nihil, sed omnia in solidum *gratiæ* adscribit, quod & notat artic. ἡ & I. Corinth. XII. 3. Ut & *Marc*. IX. 24. βοήθει, quod *Strig*. urget *d. Vin. s. 10. p. 230.* Resp. Hic homo non planè incredulus, sed fiduciâ in miracula Christi tendente, licèt languidiore, fuit præditus. E. *renatus*. Nec *obstat* vox βοηθεῖν, quæ non Dei, hominisq; operam partitur, *causasq; socias* infert; sed significat *eruere ex miseriis*, qui effectus solum Deum agnoscit. Conf. Hebr. XII. 6. Deus dicitur βοηθὸς non ut causa *socia*, sed *solitaria*. Et h. s. vocabula *auxilii*, juxta F. C. h. l. sunt accipienda, monente *Flac. d. Vin. s. 8. p. 153.* Eadem valent de *Luc*. XVII. 5. I. *Cor*. IX. 17. 19. II. *Cor*. VIII. 11. &c. *Deinde* nihil officiunt nobis I *Cor*. III. 9. II. *Cor*. VI. 1. συνεργοῦντες: non enim hîc de *conversione*, sed *ministerio verbi* agitur.

3. *Reg. 2. Præcepta, exhortationes, & conditionales promissiones non probant, quid* nos possimus, *sed quid* debeamus. Huc spectant II. *Cor*. V. 20. καταλλάγητε. c. VI. 17. Resp. *A præcepto ad posse* N. V. C. Nec inde Deus imperat *impossibilia*: quia enim homini *incorrupto* erant possibilia, ideò jure à *corrupto* Deus eadem exigit. Quin & Deus *conversionem*, viribus humanis haud *possibilem* homini injungit ob *externa* conversionis media, ejus arbitrio adhuc relicta. vid. B *Graw. A. C. t. 2. p. m. 377.* Ut & *Esa*. I, 19. אִם־תֹּאבוּ וּשְׁמַעְתֶּם *si volueritis & audieritis*, id est; si volueritis audire, exponente *B. Glaß. in Phil. sacr. Jer*. IV. 1. *Deut*. XXVIII. 1. &c. Resp. hîc valet illud: Si *nihil ponit in esse*. Nec ex nuda promissione offerentis obedientiæ præmium, sequitur obedientiæ facultas; cùm sic totius legis impletio probaretur. Nec sequitur: E. hujusmodi dicta sunt acres sarcasmi & illusiones. N. V. C. Proponuntur enim, ut erudiant nos de justa præmiorum divinorum ob inobedientiam denegatione, & de donorum primævorum turpi amissione, &c. Refer & huc *Joh*. VII. 17. *Apoc*. III. 20. ἐάν τις ἀνοίξῃ. Resp. Hæc *apertio* non est opus naturalium virium, sed Sp. S. Act. XVI. 14. significatur autem, quòd auscultatio sit medium apertionis, quòdq; in his, qui non voluntariâ malitiâ resistunt, hoc Deus velit operari, ut

possint cor aperire, uti docet *B. Gerhardus noster Comm. in h. l. Item.* II. *Tim.* II. 21. *Si quis expurgaverit seipsum.* Resp. Hîc sermo est 1. de ea purgatione, quæ consistit in *hæreticorum*, malorumq; *consuetudine* fugienda. E. 2. datur hoc præceptum *renatis*, ne sint ἑτεροζυγοῦντες ἀπίστοις, II. Cor. VI. 14. *Uti est* I. *Cor.* VI. 17. κολλώμενος τῷ κυρίῳ. Unde *Strigel.* h. m. Agglutinari Domino *est accipere ejus beneficium: sed voluntas nostra cum hac glutinatione non habet se, sicut* saxum alteri saxo adglutinatur; *d. Vin. f. 7. p. 133.* colligit. Resp. 1. *Simile non extendendum extra suum circulum.* 2. *agglutinari Domino* est quidem *accipere ejus beneficia*; sed an nos ad illam agglutinationem quid conferamus? controvertitur, nec hîc asseritur.

4. *Reg. 3. Loca à principali scopo suo huc detorta, pro synergia nihil faciunt.* Ejusmodi est præprimis *Luc.* X. 30. parabola *de semivivo.* Sed Resp. 1. *Theologia parabolica non est argumentativa*; seu: *allegoria*, quæ nihil aliud est, quàm color in ædificio, judice *B. Luth.* in *c. 13. Esa. nihil probat.* 2. Scopus hujus est veræ dilectionis proximi ostensio, vid. *D. Frantz. Interp. S. Sc. orac. 123.* unde & hæc allegoria multis modis h. l. incommoda est; quod pluribus ostendit *Schluß. cat. hæres. l. 5. p. m. 365.* 3. Esto, accommodetur huc; tum homo est *mortuus*, quantum ad actiones *merè spirituales*, *semivivus*, quantum ad *civiles & externas. B. Graw. l. de L. A. p. 373.* cum quo & benè *Lyranus*: Sublata est vita *gratiæ*, manente vitâ *naturæ.* Atq; I. *Corinth.* VII. 37. Resp. agitur hic de libertate in rebus *rationi subjectis*, &c.

5. *Reg. 4. Dicta conversionis* ordinem *indigitantia, synergistas nihil juvant.* Unde ex *Rom.* X. 17. *Fides est ex auditu*; malè pro synergia concluditur. Hoc loco enim indicatur *modus*, & *instrumentum*, quo fides accenditur, verbum scil. seu externa prædicatio: scopæ igitur dissolutæ sunt, quando ab hoc ad causam fidei efficientem colligere velis. Conceditur, externum Evangelii ministerium esse Sp. S. officinam, salutemq; esse huic organo alligatam; at hinc vitiosè voluntati vires, conversionem promoventes attribuuntur. Non enim ex eo, quòd Deus verbo corda illuminat, hominem cooperari sequitur; quin potiùs, quia ex prædicatione nascitur, ea à solo Deo donari concluditur, teste Paulo I. Cor. III. 7.

6. Necest, quòd *obvertas*: 1. E. auditus verbi nihil prodest, adeoq;

adeoq; intermitti poteſt, cùm nemo, niſi à Patre *tractus* veniat, Johan. VI. 44. Reſp. enim: ſicut quidem veriſſimum, quòd, niſi interior Magiſter Sp. S. (qui per verbum prædicatum, & auditum efficax eſſe vult, niſi homo per affectatam repugnantiam illius operationi reſiſtat) cordis atriũ aperuerit, ſeu *intrinſecus* moverit, *externus* auditus, vel per ſeculum continuatus nihil ſufficeret: ita contrà Deus neminem *abſolutè*, ſed *ordinatè per verbum* trahere conſtituit, quod l. c. indigitat, verbiq; auditum *externum*, ut factu poſſibilem omnibus commendat.

7. Nec contrà *objicias* 2. nobis *ſynergiſmi* patrocinium, quòd nos *verbi auditum*, rem per ſe bonam, *non-renato* tribuentes, & imperantes, *aliquam* ſaltem, ſe ad gratiam applicandi δύναμιν & *cauſalitatem* ei largiri videamur. Reſp. Nihil minus. Nam auditus ſaltem *externus*, non *internus* inculcatur, qui ad actiones *merè ſpirituales* nihil facit. Quemadmodum enim *neq;* plantans, *neq;* rigans eſt aliquid, ſed dans incrementum Deus: ita quoque *&* audiens, *&* volens, *&* currens *nihil* eſt, ita ut incrementum, ſeu verbi *notitia ſalutaris* ſit *nec volentis aut currentis, ſed miſerentis*, (ex miſericordia operantis) Dei, Rom. IX. 16, qui fidem omnibus attentis, & Spir. S. operanti obicem non ponentibus largiri promiſit auditoribus.

8. *Excipis:* Nihilominùs, cùm non niſi verbum audientibus Deus fidem donet; hic auditus *externus cauſæ* alicujus, meritivè rationem habere videtur; ita ut homo ſui converſionis gloriam *ex parte* ſibi arrogare poſſit; ſi enim repugnaſſet, nec audiſſet, non fuiſſet converſus. Sed R. hîc accuratiſſimè *diſtinguendum* inter *converſionis organon* ordinarium, *&* *meritum*. Auditus *externus* eſt quidem id, per quod tanquam *organon* Deus ſe fidem operaturum promiſit, nullâ verò ratione *meritum*. Idq; 1. ob *gratiam* Dei *prævenientem*, quæ ſola fecit, ut verbum revelatum nobis annuntietur. 2. ob Dei *promisſionem:* niſi enim Deus hanc ſuam, verbo annexam efficaciam promiſiſſet Eſa. LV. 10. 11. Rom. I. 16. c. X. 17. vel tota vita noſtra, audito verbo conſumpta, fidem non gigneret. 3. *correlati indolem:* per *prædicationem* verbi Deus fidem operatur, nec tamen, miniſtros prædicantes illud incrementum Domini cauſare & promereri, inferre licet I. Cor. III. 7. ita per auditum Deus fidem concedit, nec tamen ſequitur, audientes eo in fidem ſuam *cauſali-*

 ter,

ter influere, sed hoc, auditũ solùm fidei *organon* esse. Quando igitur quæritur: *Num homo possit dici aliquo modo suæ fidei causa?* R. id simpliciter *negandò* de causa *Physica* (accepto termino in oppositione ad causam *moralem*) Quia tamen homo gaudet L. A. in *externo* mediorum salutis *usu*, ita ut possit applicare agens ad patiens, externè verbum audire; opponere *resistentiam affectatam*, & non opponere: ideò si quis diceret; hominem quoad *externum* mediorum salutis *usum* habere se, sicut se habet ille, qui applicat agens ad patiens, removet impediens (en *causalitatem moralem!*) nihil absurdi diceret. Quia hac ratione omnis virtus, & efficacia nihilominus soli gratiæ & verbo manet propria, tantumq; homini *externus* mediorum *usus* adscribitur. Quod & insinuat *B. Meisn. distinguens* inter causam *removentem prohibens*; & *efficientem*. *Anth. fac. d. 11. q 3. th.* 54. Cùm autem hactenus vix quempiam *Orthodoxorum* termino *causæ* usum esse, sed potiùs omnes auditum, *medium* & *organon* appellasse videamus: omnis sinistræ suspicionis, novitatis, λογομαχίας vitandæ ergò, tutiùs ab hoc abstineri, faciles concedimus, *ut Pl. Rev. D. D. Chemnitius. P. P. P. & Sup. Præc. meus ætatem colendus in Colleg. diss.* utrumq: monuit.

9. Propter *reg. 4.* autem itidem malè sic argutantur *Synergistæ*. Fides est medium accipiendi Sp. S. E. non est donum s. effectus Sp. S. *Minor* ex Gal. III. 14. c. IV. 6. Eph. I. 13. Resp. 1. ad *Majorem* per *instant*. B. opera ex gratia inhærente profecta sunt *medium* & *causa ejusdem* ratione *incrementi* spectatæ, & tamen eadem B. O. sunt *effectus gratiæ*, *secundum se* consideratæ. 2. Nil implicat, quò minùs *medium*, quo Spir. S. intra nos accipiatur, sit simul ejus *donum* & *effectus*, *utrumq*; asserente S. Sc. *Prius* id locis cit. *posterius* Eph. II. 8. Phil. I. 29. I. Cor. VII. 25. Hebr. XII. 2. Ubi 3. omne ἐναντιοφανὲς tollit *diversus conversionis respectus*, consideratæ *vel* ut actio *inchoata*, & ratione *initii* seu primi motus pii; *vel* ut actio *completa*, & ad habitum fidei determinata. *Priori* respectu Sp. S. auditorem verbi forinsecus aggrediens, sibiq; cor ejus aperiens, *fidei* causa *efficiens* est, I. Corinth. XII. 6. & 11. *Posteriori* idem Sp. S. quatenus per accensam fide in credentibus habitat, quæ *habitatio* est ipsa ejus præsentia, cum connotata speciali operatione, & donis gratiæ; est *effectus* fidei. Gal. III. 14. Et tantùm de *objectionum* classe *priori*.

10. Se-

10. Sequuntur *argumenta rationis*, ad quorum, uti apud *Synergistas* copiosissimorum; ita saltem *potiorum* solutionem unicam præmittimus *regulam: Ratio humana, quæ in verbis, & operibus Dei* cœca, surda, stulta, &c. *est*, non *adducatur verborum & operum Dei judex*. Unde 1. ad hoc: *Voluntas non est agens naturale, sed* liberum. E. *convertitur*, non *ut naturaliter agens, sed* liberum. Et per conseq. *suo modo agit* in conversione. *Vict. d. Vin. f. 4 p. 72.* Resp. Hæc propositio: *Voluntas est agens liberum*; intelligi potest *dupliciter*: respectu *objecti* 1. *profani*, complectentis actiones *civiles, morales, artificiales &c.* & sic *conceditur*: *Vel* 2. *sacri*, ejusq; iterum *vel externi*, comprehendentis actiones *pædagogicas* (de quibus fusius sect. 1.) & sic *conceditur*; *vel interni*, denotantis actiones *merè spirituales*; & sic *negatur*. Quantum ad *has* enim voluntas *nec* libera est libertate *contrarietatis* seu *specificationis*: id est: ut voluntas, sicut bona *spiritualia ex se* potest aversari; ita etiam eadem *ex se*, vel *languido* conatu desiderare possit (quod ei supra multis denegatum est) *nec* libera libertate *contradictionis, seu exercitii*. Negata enim *libertate contrarietatis*, simul negatur *libertas exercitii*; v. gr. quia voluntas *ex se nullis* pollet viribus, actus *merè spirituales* eliciendi; statim sequitur, eandem etiam non posse hos *elicere & non elicere*. *Negatur E.* in *argumento Strigelii Minor*, utpote non *in codice sacro*, sed (cujusmodi ferè omnia ejus sunt) proprio cerebello nata. 2. Rationes. Obj. 1. Resp.

11. Hinc eadem oberrans chorda *Strigelius* ita pergit: 2. *Omnis gubernatio aut fit* persuasione, *aut* coactione, *nec potest dari medium inter hæc duo extrema*, *sicut nec inter* naturale *agens*, & *agens* liberum. *Sed voluntas non potest cogi. E. voluntas* persuadendo, *id est*, *ostensione alicujus boni vel mali flectitur ad obediendum Evangelio*, non coacta, *sed aliquo modo* volens *d. Vin. f. 4. p. 82.* De quo aliquoties repetito, ut *f. 5. p. 97.* sibi satis gratulatur, autumans, conversionem nullum requirere actum alium, præterquam *moralem suasionem*, quâ voluntas boni vel mali ostensione ad obediendum Evangelio flectatur, idq; eo, quòd cogi non possit. Sed Resp. 1. Ultrò quidem largimur, *voluntatem cogi non posse* scil. quâ actus *elicitos*, sed tantùm *imperatos* (de quo pluribus Ethici) item & hoc, *conversionem non fieri per coactionem*: interea tamen ad *Majorem* Resp. 2. inter *coactionem & suasionem quantùm ad hoc*, dari *tertium*, *actualem* nempe 2. Resp.

 Spir.

Spir. S. per verbum efficacis *operationem*, quæ, cùm realis sit, non in *mera persuasione*, sed *motione & flexione* longè *efficaciori*, quàm quæ à suasione morali proficisci possit, consistit. Quæ ipsa actio tamen, cùm voluntatis libertatem ad oppositum non tollat, *non* est propriè *coactio*, *neq;* purè *moralis suasio*, sed actio *morali suasioni analoga*, ut docet *Pl. Rev. D. D. Mus. d. 4. §. 60.* Estq; illud ὑπέρβαλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, quo *credimus*, Eph. I. 19. quo cordibus *emollimur*, II. Par. XXXIV. 27. corde *lapideo liberamur* Ezech. XI. 19. *circunmcidimur* Deut. XXX. 6. *conterimur*, Psal. LI. 10. *purificamur* Act. XV. 9. *perficimur* Phil. II. 13. &c. Quæ omnia longè plus, quam *moralem suasionem* important.

12. *Notanter* autem dixi: *quantum ad hoc.* Utut enim *Strigelius majorem* suam *exemplo* gubernationis *Politicæ*, inter hæc duo tertium non admittentis, stabilire satagat, quod lubentes concedimus: is tamen ab *illa* ad *conversionem* colligens, argumentatur à baculo ad angulum. *Conversio* enim *nec* sub *Politica gubernatione* continetur, *nec* ratione *principiorum*, *& modi agendi* cum ea convenit. In *hac principium agens*, & subditos compellens est *homo*, cui, quicunq; sit, in alterius voluntatem non competit immediata actio; sed necessarium est, ut *vel suasione*, seu ostensione boni & mali (quæ est actio saltem *Metaphorica*) *vel coactione* alterum ad nutum suum componat. In *illa* (conversione) autem *principium agens* est *Deus*, omnia verbo virtutis suæ portans Ebr. I. 3. qui sanè in hominis voluntatem agere, & sic modo *altiori*, atq; *efficaciori*, quàm nudâ *morali suasione* eam convertere potest.

13. Atqui ex dictis non immeritò cuipiam hic oriatur scrupulus, quòd nos *gratiæ irresistibilis* patroni videamur, in voluntatem *efficacem* Dei actionem propugnantes. Ad quem eximendum, si usquam, nos hic loci illud utique *tutissimum*, inter duo errorum extrema *medium* apprimè observandum censemus; ne sc. ab *altera* parte *nudam* verbi *suasionem* negando, *Strigelii* Scyllam devitaturi; ab *altera efficacem* Dei *actionem* propugnando, in *Calvinismi* de *gratia irresistibili* Charybdin incidamus. De utroq; E. pauca.

Num verbum moveat tantùm moraliter?

14. Quando igitur *quæritur*: *Num Dei verbum hominis convertendi voluntatem ad spiritualia bona desideranda* moveat tantùm moraliter, *eorum bonitatem ostendendo; an verò virtute altiori?*

Nos,

Nos, præmonito hoc, hic *non* quæri: *Num verbum rationes* moraliter suadentes *in se contineat* (id quod quilibet, qui vel à limine saltem sacras salutavit literas, ex plurimis earum *adhortationibus, promissionibus, comminationibus*, &c. perspicit) sed hoc: *An* nulla *aliâ vi, quàm* morali suasione *in convertendum agat? Negativam* defendimus, eamq; ex hoc fundamento: Voluntas convertendi planè *nullas* circa spiritualia habet vires. E. *nudâ suasione* moveri nequit. *Major* probatur: quia omnis *suasio moralis* in homine persuadendo libertatem & facultatem quandam, seipsum ad actionem determinandi, & objectum suasione monstratum apprehendendi præsupponit. *Minorem* superiora pluribus confirmârunt: firmo igitur perstat talo *conclusio*.

15. Quam & illustrant ex *moralibus* petita *exempla*, in quibus sæpius accidit, ut voluntas, aliàs quoad hæc suis adhuc prædita viribus, malè agendo penes nonnullos ita ad unum sit determinata, ut *nullâ suasione morali* in contrariam, eamq; virtutis viam se flecti, ducivè patiatur. De quibus scitè *Aristot*. τοὺς δὴ τοιούτους τίς ἂν λόγος μεταῤῥυθμίσαι; οὐ γὰρ οἷόν τε, ἢ οὐ ῥᾴδιον, τὰ ἐκ παλαιοῦ τοῖς ἤθεσι κατειλημμένα, λόγῳ μεταστῆσαι. *l. 10. Ethic. Nicom. c. 10.* hoc est: *Eos, qui tales sunt, ad moderationem traducere quæ oratio posset? Fieri enim nequit, aut facile non est, ut quæ ex* diutino usu *moribus sunt præoccupata* verbis *amoveamus*. Unde nascitur nobis aliud *argumentum*: Si ad actiones *moraliter bonas*, in quibus voluntas suas habet vires, sæpius voluntas hominum, vitiis planè immersorum, *nullâ oratione*, nullisq; suasoriis moveri potest: multò minùs verbum Dei ad actiones *merè spirituales*, in quibus homini vires relictæ nullæ, *nudâ suasione morali* hominem convertere valet. Utrumq; constat ex dictis, quibus cum conf. f. 2. c. 2. Quare *quæstionem* datam *negantes*, iterum *asserimus*: Deum in hominis conversione cum verbo *modo speciali ac supernaturali* concurrere, idq; illius voluntatem *non* nudâ *suasione morali*, sed *virtute nobiliori* & efficaciori flectere & trahere.

16. Quam in rem etiam hic suprà datam repetimus verbi *distinctionem*, quâ illud considerari potest *dupliciter* 1. ut *verbum*, *vocibus* ex impositione *significantibus* constans, & sic per præviam intellectus cognitionem *spiritualia* bona voluntati variis argumentis sistere, inq; eam suadendo *moraliter* agere potest, quod

tamen

tamen conversionem nondum causatur. 2. ut est Sp. S. convertentis *verbum & organon*, & sic elevatur ad eum in conversione effectum producendum, quem aliàs oratio, licèt vel ipsius *Suadæ* medulla, nunquam efficere posset. Id est, ut clariùs dicam: Cum *verbo*, bona *spiritualia*, *intellectûs* judicio, *voluntati* sectanda exhibente, *Deus gratiâ* suâ concurrens, in convertendi voluntatem influit, pios motus exsuscitat, & τὸ θέλειν in nobis operatur, Phil. II. 13. Quam *Dei cum verbo* conjunctam operationem Scriptores ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι ubiq; deprædicant, *Paulus* I. Thess. I. 5. I. Corinth II. 4. & 5. Ephes I. 19. &c. tacitè subinnuentes, hanc *Dei*, adhibito *verbo* nos convertentis actionem *morali suasione* nequaquam exhauriri; sed eâ longè esse altiorem & efficaciorem. Ubi etiam itidem, ut suprà, addimus, hanc, quâ *Deus*, mediante *verbo*, in convertendi voluntatem influit, actionem non esse *geminam*, sed *unam*; quæ *efficienter* & ab ipso *Deo*, & à *verbo*; ab *illo* quidem ut agente *principali*; ab *hoc*, *ut instrumentali* dependet. Neq; enim, quod iterum atq; iterum, ad omnem *Enthusiasmi* suspicionem declinandam, monemus; Deum agere *sine* verbo, *vel* verbum *sine* Deo; sed Deum *cum & per* verbum convertere (ordinariè) constanter asserendum est.

Num gratia conversionis sit irresistibilis?

17. Nec hinc, quod *alterum* §. 13. tetigit *extremum*, *gratiæ irresistibilis* patroni evadimus. Est autem *gratia irresistibilis*, cui non potest ab homine resisti, ut sui conversio, quam illa intendit, impediatur. Hoc loco igitur *quæritur*: *Utrum illi, quos Deus convertere vult*, necessariò *convertantur*; seu ita, *ut in eorum potestate non sit* non-converti, *seu conversionem sui impedire*. Vel quod idem: *Utrum illuminans gratia, quâ paulatim voluntas determinatur, ut & fidei assensum intellectui imperet, & in Christi merito confidat, à Sp. S. in hominis convertendi voluntate accendatur* irresistibiliter; *seu ita, ut in voluntatis potestate* non sit resistere, eamq; impedire?

18. Hic est *controversiæ status*, ad quem nos Resp. 1. *distinguendo* inter *primos* voluntatis *motus pios*, qui non sunt deliberati, quiq; possunt dici *irresistibiles*, quatenus deliberationem nostram anticipant, ita ut nobis non sit integrum, eos, ne *oriantur*, impedire; quamvis *exortos*, ne ulteriùs operentur, facilè supprimere, & impedire possimus. Et *motus subsequentes*, qui à Sp. S. in homine

post

post inspiratam cogitationem sanctam, piumq; desiderium excitatantur, suntq; *deliberati. Illis* missis, *hi* in controversiam veniunt: *Num sc. excitentur* irresistibiliter, *an verò ita, ut voluntatis* resistentiam *& obstaculum admittant?*

19. Ad quod Resp. 2. *affirmando posterius*, dicentes: *gratiam conversionis*, quâ voluntas ad assensum intellectui imperandum, fiduciamq; in Christi merito collocandam determinatur, *esse resistibilem. Probamus* autem id 1. Verbo prædicato resistere possumus. E. & ipsi conversionis gratiæ interiori. *Major* probatur: quia sublato hoc, tanquam conversionis *causâ*, ipsa etiam interior conversio tollitur. *Minor* ex Matth. XXIII. 37. οὐκ ἠθελήσατε. Act. VII. 51. ἀντιπίπτετε, Joh. V. 40. conf. f. 2. c. 2.

20. *Excipiunt* hîc quidem *Calviniani, distinguentes* inter gratiam *vocantem* & *operantem. Illam* dicunt gratiam *vocationis externæ*, quâ Deus nondum renatos *foris* dignatur vocare per vocem legis, & conciones Evangelii: *hanc* gratiam *motionis internæ*, quæ est motus misericordiæ, quo *intus* in mentibus & cordibus nondum regenitorum operatur ea, quæ ad conversionem pertinent. Jam de *vocante* seu *externa* gratia concedunt, quòd sit *nimis resistibilis*, eò quòd voluntas non renata nihil possit, nisi gratiæ vocanti resistere: *operantem* autem (juxta illos in tres gradus distinctam) *irresistibilem* asserunt. Vid. *act. syn. Dordr. p. 210.*

21. Verùm hanc *gratiæ* distinctionem eos non modò nihil juvare, sed intricatis absurditatum laqueis implicare, sic ostendimus: Gratia illa *operans* seu *interna* (juxta illos) *aut* est *conjuncta* cum *vocante*; *aut* ab ea *sejuncta*. Non assument *posterius*, quippe quod contradicit Rom. X. 17. sapitq; *Enthusiasmum*. E. *Prius*. Unde *eam* non esse *irresistibilem* probamus *h. m.* Gratia *vocans* & *operans* sunt quà influxum suum causæ conjunctissimæ in unum influentes effectum. E. Priori existente *resistibili*, altera non potest esse *irresistibilis*, sed æquè est *resistibilis*. *Minor* ex Roman. X. 14. *Quomodo credent, si non audiverunt? Major* inde constat: quia *duorum* in operando indivulso nexu conjunctorum *priori*, quantum ad influxum sublato, vel impedito, etiam *posterius*, quà influxum tollitur. *Ex. gr.* Concursus Dei & forma ignis sunt caloris producendi causæ conjunctissimæ: Deus enim cum causis secundis ita ope-

 ratur;

ratur, ut ipsius & causæ secundæ *eadem numero* actio sit, ad *eundem numero* effectum tendens. Sublato igitur illo, ut in *fornace Babylonica*, & hæc suum effectum exserere ibi non potuit. Eadem & hic est ratio gratiæ *vocantis & operantis*, ubi *hæc illam* præsupponit. Quod autem magis patet ex Act. XII. 45. seqq. *ubi contradicentibus* Judæis v. 45. gentes *credidisse* leguntur v. 48. Inde sic colligimus: *Aut* gentes *æquè* ac Judæi gratiæ *vocanti resistere* potuissent, *aut non*. Si *posterius*, detur ratio diversitatis in gentibus, quæ in his magis, ac *Judæis*, resistentiam removisset, quæ dari nequit: quinimò sic fieret *gratia vocans irresistibilis*, quod falsum *partim* ex expresso *Judæorum resistentiū* exemplo; *partim* ex ipsa *Adversariorum confessione*. E. *prius*. Hinc porrò: Gentiles resistentes *aut* nihilominus *fuissent* conversi; *aut non*: Non *illud*: quia gratia *vocans* & *operans* sunt in agendo conjunctissimæ, uno influxu eandem actionem producentes; quare qui illi resistit, resistit & huic. E. *hoc*; & sic patet, quòd hi gentiles conversi, eo ipso, quòd potuissent verbum cum Judæis repudiare, *non necessariò & irresistibiliter*, sed ita conversi sint, ut *potuerint non converti*. Si etenim cum Judæis verbo contradixissent, cum iisdem eadem in incredulitate permansissent. Nulla igitur est *Contra-Remonstrantium* inter gratiam *vocantem & operantem* distinctio; sed quia *hæc* ab *illa* pendet, *illâ* concessâ *resistibili*, & *hæc resistibilis* est, & manet.

2. 22. Nos autem in probandâ thesi nostra 2. procedimus ita: Plurimi *gratiæ vocanti*, seu verbo prædicato auscultantes, interiori Spir. S. *gratiæ* cum verbo conjunctæ, seu (juxta *Calvin.*) *operanti* resistunt. E. *hæc* non tantùm *non* est *irresistibilis*, sed *illâ* magis *resistibilis*. *Minorem* probant *tùm exempla Agrippæ* & *Festi*, Paulum audientium, nec tamen conversorum Actor. XXVI. 28. *tum parabola* de quadruplici *semine* Matth. XIII. 3. seq. quæ, *Ecclesiâ* cum *agro*, *verbo* prædicato autem cum *semine* collatis docet, *semen* in agrum sparsum, seu verbum in Ecclesia prædicatum, quamvis unum & idem sit, non tamen ubique æquè esse fructuosum. Cujus *diversitatis* ratio aut est ex parte *seminis*, aut semen spargentis *Dei*, aut *hominum*: cùm *quartum* non detur. Non *primum*: unum enim idemque semen est, quod cadit prope viam, in pe-

tras, ſpinas, & terram bonam; ſeu: unum idemque verbum eſt, quod omnibus annuntiatur. Nec *ſecundum*: præterquam enim, quòd de diverſa ſeminantis intentione ne minima ex textu exſculpi poſſit ſuſpicio; contrarium innuit parabola, dicens: *non* quòd ſeminans ſemen ſuum tam diverſimodè *ſeminaverit*; ſed quòd ſemen prolapſum ita *ceciderit*, obſervante hoc *B. Meiſn. Anthrop. ſac. d.* 13. *q.* 2. §. 25. Quò facit & id, quòd, Deum uno eodemque favore & benevolentiâ omnes omninò homines amplecti, ex I. Timoth. II. 4. II. Petr. III. 9. aliisq; Scr. ll. in orthodoxa Eccleſia indubium eſt. Remanet igitur *tertium*, hanc ſcilicet diverſitatis cauſam, quòd verbum omnibus prædicatum non in omnibus æquè ſit efficax, in *agro* quærendam eſſe; ſeu: penes homines hujus culpam reſidere. Horum namque *quidam* ſunt inſtar *viæ*, pravis affectibus ac erroribus, haud ſecus ac *publica via* patentes; *quidam petroſi*, in fide πρόσκαιροι, in cruce deficientes: *quidam ſpinoſi*, terrenorum amore deliniti, verbum auditum ſuffocantes; *quidam* denique *frugiferi*, verboq; morigeri exiſtunt. Quæ omnia, Sp. S. per verbum convertentis *gratiam*, *non* eſſe *irreſiſtibilem*, ſed ita comparatam, ut in hominis poteſtate ſit, ei reſiſtere & obicem ponere, id quod multi ipſo ſibi exitioſo probant exemplo, luculenter evincunt. ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

23. Unde tandem & hoc elucet, quàm nulli cum iſto ſuo *ſpecioſo* quidem, *falſo* tamen ſint *argumento Synergiſtæ*, *ſophiſticantes*. Deus *vult omnes* ſalvos fieri, *nec* tamen *omnes* convertit. Erg. illa Dei *particularis converſio* non dependet *à ſola* ipſius *voluntate*, ſed ab *alio*, utpote hominum συνεργείᾳ. *Major* videtur firma, quia aliàs dabuntur in Deo voluntates *contradictoriæ*, *velle* & *non velle* omnes ſalvos. Reſp. enim ad *Major*. *negando* eam, quæ hæc eſt: *Quicunq; vult omnes ſalvos, nec tamen omnes convertit, ejus particularis converſio non dependet à ſola ipſius voluntate*; hactenus *concedimus*; ſed ſi porrò inferes: *Erg. ab hominum* συνεργείᾳ; *negamus*. Datur enim *tertium*, *hominum ſcil. affectata repugnatia*: quippe in quorum poteſtate eſt τὸ *repugnare*, & τὸ *non repugnare*; non autem in eorum poteſtate eſt pro lubitu *aſſentiri*, vel *non aſſentiri*. Ad *probationem* dicimus; eam ſaltem eſſe veram de volunta-

 te

te *simplici* & *absolutâ*, non verò de *conditionali* & *ordinatâ*, quâ Deus omnes vult salvos. Nulla igitur hîc datur contradictio ob diversum respectum, quo Deus *vult*, & *non vult* omnes salvos: *vult* voluntate *antecedente*; *non vult* voluntate *consequente*. Quæ *duæ* voluntates sunt *subordinatæ*, minimè *contradictoriæ*, propter modò dictam respectus *diversitatem*. Voluntas enim, *antecedens* respicit media considerata à parte *Dei offerentis*, estq; *universalis*; *consequens* respicit eadem à *parte hominum* aut *acceptantium*, aut *respuentium*, fitq; *particularis*.

24. *Dicis* 1. Omnium hominum eadem est conditio tam quoad peccatum, quàm partam salutem. E. Deus aliquos saltem convertens convertit, *aut* ex absoluto decreto, *aut* relinquit hominibus synergiam. Resp. *Minorem negando*. Non enim *simpliciter* verum est, omnium hominum esse eandem conditionem, ut in uno non possit esse major ratio, *cur non convertatur*, quàm in altero. Quod ut intelligas, notes, homines *inter se* posse comparari *dupliciter* 1. *in genere* respectu *peccati* tum *originalis*, tum *actualis*, quatenus utrique homo post lapsum ex necessitate quadam subjectus est, & sic omnium hominum, *ordinario* modo propagatorum eadem est conditio, Rom. V. 12. cap. III. 9. Genes. VI. 5. & cap. VIII. 22. *in specie* respectu alicujus sponte *contractæ malitiæ*, & sic maximam in hominibus dari disparitatem, Scriptura toties, quoties de quorundam contumacia specialiter conqueritur, ut Actor. VII. 51. cap. XIII. 45. Matth. XXIII. 37. affirmat. Et hinc Deus invenit in homine causam, cur fidem, quam *huic* ex merâ gratia concedit, *illi* actu non det, quam tamen ex eadem gratia seriò dare intendebat; *repugnantiam* nimirum *spontaneam*, quæ non omnibus communis, sed quam *ille*, gratiæ Dei contumaciter & ex proposito resistens exserit, *hic* non item. *Convertit* igitur Deus *alium*, non quia ille voluit converti; bonum enim non potest velle; sed quia *non repugnavit*: *alium non convertit*, non quia non voluit assentiri; hoc enim in ejus potestate non est; sed quia *repugnavit*.

25. *Dicis* 2. At Deus omnipotens Dominus omnium corda flectere sciens Prov. XXI. 1. illam *repugnantiam*, cùm facillimè posset,

ſet, non tollit. Erg. adhuc videtur aut abſolutum ejus decretum, aut ſynergia ut cauſa remanere. Quæritur enim hic: *Cur non in omnibus audientibus*, repugnantiâ iſtâ ſublatâ, *fidem accendat; ſed eam huic individuo, altero manente incredulo, donet?* Reſp. 1. Hoc quærenti, quod ferè captum humanum excedit, regerendum foret; *digito compeſce labellum*; & dicendum cum *Auguſtino*: nos non reperire, *quid reſpondeamus*, vel cum *Proſpero de vocat. gentil.* *Cur* illorum *non miſertus*, horum *verò miſertus ſit Deus*; *quæ ſcientia comprehendere, quæ poteſt inveſtigare ſapientia? Latet* diſcretionis *iſta* ratio; *ſed non latet ipſa* diſcretio; *non intelligimus* judicantem, *ſed videmus* operantem. Exclamamus igitur hic cum Paulo: ὢ βάθος Roman. XI. 33. probè noſtræ ſortis humanæ, cui omnem Dei ſapientiam rimari non licet, memores. Interim 2. Deo nobiſcum tanquam cum *rationali creatura* agere placuit, ideoq; media, quibus in nobis operari velit, ordinavit, viresq; iis utendi, vel non utendi conceſſit. Quæ ſi ſuâ ſponte quis negligit, & non convertitur; is ſibi, abſq; tamen ullo *ſynergiæ* conceptu, imputet. Inde 3. ingens auditorũ verbi varietas cùm in animis & cordibus hominum abſcondita ſit; ideò non rationem hujus: *cur* hic *credat*, illo *manente incredulo?* reddere neſcimus: Deus autem renes & corda ſcrutans Pſ. VII. 10. hypocriſin & cogitata intuetur, dolumq; in corde hominis latentem, quem nemo mortalium perſpicere poteſt, deprehendit. *Quare nos in judiciis Dei* juſtis & rectis, *quæ in hominibus exercet, ſuntq; abyſſus multa, admirandis potiùs, & religiosè venerandis; quàm ad rationis noſtræ judicium exigendis, conſiſtere oportet*, monente *B. Hutt. expl. F. C. p. m.* 172. Quod & nos obſervaturi de hoc, propriè ad loc. *de Prædeſtin.* ſpectante, ulteriùs nihil addimus.

26. Cæterum reliqua, quæ affert *Strigelius à diſcrimine honeſtorum & turpium* hunc in modum: *Impoſſibile eſt*, diſcrimen honeſtorum & turpium *inſitum menti humanæ in creatione, penitus ex corde deletum eſſe. Sed nullum eſt majus teſtimonium in tota rerum natura de Deo, quòd ſit Deus, & qualis ſit, & quòd judicaturus ſit hominum rectè & ſecus facta, quàm hæc ipſa ſapientia*, diſcernens honeſta & turpia, *impreſſa menti humanæ in creatione, & poſt lapſum non prorſus deleta, & extincta.* E. *manet in mente huma-*

ma aliquâ Dei notitia, nec prorsus ex corde hominis deleta est &c. *d. Vin. f. 4. p. 75.* Et per consequens homo naturaliter Deum cognoscere, seq; e. in conversione *ex se* attemperare potest; quod (licet ei Gordii nodi instar visum, adeoq; vel decem talerorum, solventi expendendorum pretio carum) videatur solutum à *Schluß. cat. hær. l. 5. p. m. 369.* Item à *ratione dati & accepti* ita: *In omni donatione, quæ Græcè vocatur μετάδοσις*, id est, *ratio dati & accepti necesse est considerari non tantùm rationem, id est, gratiam dantis, sed etiam* modum, *quo* accipiens apprehendit *oblatum beneficium.* Conversio *est donum & opus Dei, quod semper concessi. Ergò necesse est in hoc opere Dei considerari non modò gratiam dantis, sed etiam* modum, *quo hoc donum apprehenditur, c. d. f. 7. p. 129.* de quo *Schluß. c. l. p. 249.* nec non *à sponsalibus: In sponsalibus*, inquiens, *nihil magis requiritur, quàm consensus.* Conversio *est quædam desponsatio* II. Cor. XI. 2. *inter Christum, & Ecclesiam & singula membra. Ergò* consensus *in hac desponsatione requiritur: & quanquam propriis viribus non assentimur, tamen adjuvante Spiritu S.* voluntas aliquo modo potest assentiri, *sicut suâ malitiâ sola potest repugnare. Quod nisi posset, nunquam fieret desponsatio.* Ibid. p. 138. quod solvit *Schluß.* c. l. p. 251. &c. chartæ, præter spem excrescentis angustâ exclusi, discursui reservamus. Hæc igitur ejus & complicum potiora nos arbitrati argumenta, hîc afferenda duximus: quæ cùm infirma, *Strigelii* synergiam non statuminent, quòd nobis, nostrisq; viribus *planè nihil* sit adscribendum, satis superq; edocent. Ut itaque hoc in negotio præprimis verissimum maneat illud *Apostoli: τί δὲ ἔχεις, ὃ οὐκ ἔλαβες;* I. Corinth. IV. 7. nobisq; omni causalitate privatis, gloriolâ omni exclusis cum Psalmista: לא לנו יהוה לא לנו Ps. CXV. 1. nunquam non iterandum sit. Quod ipsum nos *coronidis* loco, pro hactenus clementissimè nobis concessâ gratiâ, cum calidissimo ejusdem, studiis nostris qualibus qualibus & posthac adfuturæ, eaq; in omnem veritatem cœlestem ducturæ voto & suspirio, gratissimo pectore ei accinimus, nunc & in omne seculum dicturi: לא לנו יהוה לא לנו כי־לשמך תן כבוד

Tantùm.

MAN-

MANTISSÆ.

1. UNum eundemq; numero actum, simul à Sp. S & ab hominis intellectu aut voluntate dependentem, modò *transeuntem*, modò *immanentem* dici, nil implicat.

2. Ex eo; quod *Augustinus* dixit: *Duæ sunt nativitates: una est de terra, alia de Spiritu: una est de mortalitate, alia de æternitate: una est de masculo & fœmina, alia est de Deo & Ecclesia: Sed ipsæ duæ* singulæ *sunt*, nec illa potest repeti, nec illa, non absolutè infertur; regenerationem (sumptam in suâ *latitudine*; prout præscindit ab *hoc* & *illo* speciali actionis modo) non posse repeti. Nec *generatio*, & *regeneratio*, cùm ad diversa terminentur, in hoc simpliciter conveniunt.

3. Nec inde, quod patris & filii relatio non habeat fundamentum in actu *præsenti*, ut amans & amatum, sed in *præterito*, ut efficiens & effectum, adeò ut, qui semel alicui sit natus filius, non desinat esse ejus filius, etiamsi degeneret; licet colligere: E. qui semel ex Deo natus est, etiamsi peccet, tamen filius Dei esse non desinit. Fides enim sive statuatur relationis hujus *fundamentum*, sive *terminus formalis*, sublata facit, ut hæc relatio desinat, nec, qui semel natus est ex Deo, amissâ fide, adhuc sit Dei filius.

4. Regenerationem esse & *instantaneam* & *successivam*, atq; adeò à *Strigelio d. Vin. s. 5. p. 100* rectè *motui* comparatam, verum est.

5. Sumus rei etiam eorum, quæ non possumus præstare. Unde *Strigelius* ita syllogizans: *Si nulla est nostra assensio, ne quidem adjutore Spir. S.* non video, quomodo homines possint esse rei *propter verbum non susceptum d. Vin. s. 6. p. 110* videat, consequentiam suam esse ficulnam.

6. Deus ex communi hominum corruptorum sorte aliquot convertens, προσωποληψίας vitio se nullatenus maculat.

7. Et *Deus* induravit Pharaonem Exod. IV. 21. &c. & *Pharao* seipsum. Exod. VII. 13. &c. sed valdè diversimodè.

Ad-

Humanissimu

DN. M. HERMANN

ſmum SRIGE

AMICU

QUòd non reſpicias *terras*,

Sidera; multiplici de

Nam rectè oſtendis, fidei qu

Dentur, quæ nobis con

Aſt fiet *unde* fides? dum clar

Gratulor, & cœptis vel

CHRIST

Pe

DN. M. HERMANN

Cultori ſtrenuo, præſentis e

Vict. Strigelii errorem a

FELI

DUm *Victorinum* verbi, ch

Armis: non deerunt p

Singu

JOH

GRatia ſola DEI faciat q

Edocet ERDMANNUS

Idcirco æternæ meritus præc

JOHAN

Ad

...anissimum ac Pereximium

...HANNUM Erdmann; Synergi-

...SRIGELII exponentem,

...AMICUM SUUM.

...as *terras*, ERDMANNE, sed alta
...plici dexteritate probas.
...fidei quod cœlica tempe
...bis conferet alma TRIAS.
...um clarius addis; opellæ
...ptis vela secunda precor!

Benevolentiæ testandæ causa faciebat

CHRISTIANUS CHEMNITIUS, D. P. P.
Pastor & Superintendens.

Pereximio

...ANNO Erdmann/SS. Theol.

...æsentis eruditæ disputationis adversus ...rorem adornatæ Auctori doctissimo

FELICITER!

...rbi, charissime, *vincis*
...erunt pulchra Trophæa TIBI.

Singulari affectus declarando L. M. Q. addebam

JOH. ERNEST. GERHARDUS.
SS. Th. D. & P. P.

...aciat quod paginam utramque,
...NNUS, solùm *cœlestia* spirans:
...us præconia famæ.

Honoris causa scribebat

...OHANNES Frischmuth Lingg. sacr.
Prof. Publ. Facult. Philos. h. t.
Decanus.